





1732.

1. van Bockoven, Thaddaeus Jacobus: *De probat. bonibus.*
2. Crayvanger, Gisbertus: *De jure codicis Norwic.*
3. Plets, Christianus Christophs: *De bonorum communione  
in societate coniugali principiis secundum statuta  
Hamburgiorum.*
4. Ingelen, W. Melius: *De ratio habitione et lata est. et ultra  
statut.*
5. Leem, G. Bertus de: *De rebus corporatis et incorpo-  
ritatis.*
6. van der Zijnden, Simon Paulus: *De lege Agiatis, 97.  
et lib. Roridam iugatio.*
7. van Wivell, Martinus: *Res similes aliius non tollandi.*
8. Nyssingh, Coenraad Samuel: *De vario testamenti scripti  
solennibus.*
9. O. Kerse, Cornelius Jacobus: *De civitate ex matre obligata  
et l. 27. De rebus cretis.*
10. Beckerse, Wilhelm Cornilius: *De vindicatione necessaria*

1732

11. Roy, I. Johannes de : De legitimatione jurisprudentie, proposito et numero.

12<sup>9</sup>. Schacht Petrus Vester dyk : Recd, quod factum est  
2<sup>o</sup> series hominum testatorum. 2 Sept. 1732 - 1744.

1733.

1. van Apken, Johannes : De rebus pro decreto habitationis
2. Berg, T. Hieronimus : De iure conditionum.
3. Both, Abt. Guiliel : De fiduciis et iuribus
4. Chatrell, Jacobus Laurentius : De transversalibus Vellijano.
5. Chombach Franciscus Christianus : De prescriptionibus et  
prescriptionibus
6. van der Does, Johann Henr. : De conditione specie
7. Frankenborg, Fridericus Wilhelmi : De privilegiis ministeri  
sanctorum, qui in ecclesiis testantur
8. Godin, Cornelius : De legitimatione
9. van Haerffen, Nicolaus : De iure operationum.
10. Krols, Christofforus : De agro vocigali et emphyteusi

1733.

11. Lencos, Janus Cyprianus: De usucapionibus.
12. de Monchy, Petrus: De testamento parentum inter  
liberos.
13. van Tolson, Henricus Petrus: De jure retractus.
14. van Rossewelt, Janus Willems: De sumptibus studiorum.
15. Sake, Petrus Everardus: De officio mandatarii
16. Santyn, Didierius: Anct quoniam, in prelio emplois  
mortaliter licet se circumvenire?
17. van Soesdyck van Haan, Petrus Jacobus: De obligacione  
improvisis
18. Wynne, Henricus Petrus: De beneficiis dicituris  
obaezati.







DISPUTATIO JURIDICA  
PROGRADUATIONIBUS.

QUAM  
PER DIOCTER OPT. M.  
Rectorum Magistrorum  
PROGRADUATIONIBUS  
INTERDYK SCHACHT,  
Medicorum

Amplissim SENATUS ACADEMICI  
Bijuris Facultatis IURIDICÆ decreto,  
PROGRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE IURE Honoribus &  
Privilegiis me ac legitime conquisatis,  
Thaddæus Jacobus van BOCHOVEN,  
HAGA-DATAVEL  
id Dic. xiv. Junij L. R. Q. S.

EXACTIA SHENUM  
Apud ALEXANDRUM van MECHEK, Academico  
Typographo. MDCXXXII.



1798

DISPVATATIO JVRIDICA INAVGVRALIS

DE

EO QVOD JVSTVM EST  
CIRCA

VARIAS HOMINVM  
ÆTATES

QVAM

SVB PRAESIDIO  
JOHANNIS OOSTERDYK SCHACHT

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS MEDICINAE  
PROFESSORIS ORDIN.

PRO GRADV DOCTORIS

PUBLICO EXAMINI SUBMITIT

HENRICVS MOLLERVS  
HAGA-BATAVV.

---

TRAIECTI AD RHENVM D. XXIV. IVNII MDCCXXXII.

---

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACADEMIAE TYPOG.

RECUSA 1714.

1732, 12<sup>a</sup>

12





## LECTORI SALVTEM.

**N**on multis in ipso limine te morabor,  
Benevole Lector, qui magnam præ-  
fationem magnum malum esse didici:  
Et tamen insalutatum te contra mo-  
rem præterire religio erat. Verbo itaque  
expediam. Per ætates hominum intelligo  
varia vitæ humanae spacia, quibus cum dispo-  
sitione corporis animi vigor signanter muta-  
tur. Pro harum discrimine variis homines  
utuntur juribus, quibus tamen leviter tantum  
delibatis, ipsas imprimis ætates, prout in  
jure sunt determinatae, explicare conatus  
sum. Diversimode autem veteres ætates nu-  
merarunt; tres fecit Aristoteles, Hippocra-  
tes quatuor, Varro & Seneca quinque; aliis  
plures placuerunt. Ego vero in sex capita  
hoc quicquid est disputationis divisi. Primum

\* 2

infan-

infantiam exponit ad annum usque septimum; alterum agit de pueritia ad annum duodecimum vel decimum quartum; tertium & quartum in diversis adolescentiae gradibus ad annum quintum & vigesimum explicandis occupantur; quintum legitimam & virilem illustrat ætatem: & denique senilis hiems, canitieque venerabilis ætas colophonem imponit. Hæc summa est materiæ pulchræ, & varietate rerum jucundæ, cui idoneus faber si accessisset, planius constaret, sapientes Romanos in juribus condendis naturam ante oculos habuisse, quæ singulis ferme ætatis signa imprimit; verum ego Antiquitatum & Philosophicæ aliisque præsidii ad rem tantam necessariis desitutus, primas tantum lineas ducere institui, aliis spartam hanc melius exornandam lubens meritoque relinquentis. Tu igitur, quod minus erudite minusve legitime positum est, ut ætati condones, majorem in modum rogo atque obtestor.

DISPV-

is a f  
sari  
test.  
fidei



DISPUTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS,  
DE  
EO QVOD IVSTVM EST,  
CIRCA VARIAS HOMINVM ÆTATES.

CAPVT I.  
DE INFANTIA.

**V**ocabuli infantia Etymologia & significatio est plana. Nonius Marcellus Infans, ait, *a non fando dictus est: nam & infantes usque eo appellandi sunt, donec caperint fari;* & Chrysippus apud Varonem l. 5. de ling. lat. Fatur is, qui primum significabilem emitit vocem; ab eo, antequam ita faciant pueri, dicuntur infantes, cum id faciunt, jam fari. Hinc JCtis synonima sunt Infans & qui fari non potest. v. l. 65. §. 3. D. ad S. C. Trebell. l. 30. §. 1. 2. & 4. de fideicommiss. lib. l. 70. D. de V. O. Igitur singulare admodum est,

A

est, quod observat. Gilb. Regius l. 2. enant. cap. 20. Tom. 2.  
*Theſ. Jur. Rom.* p. 1510. Infantem accipi pro filio filiave  
 euſuſcunque etatis, in l. 41. §. ult. D. de leg. 3. & l. 26. §. 2.  
 D. de fid. libert. qua significatio cum plane fit infolita, &  
 Latinitati JČtorum minime conveniat, non video, cur hic  
 temere, ſaltem in d. l. 26. a. proprietate vocis recedamus,  
 l. 69. de leg. 3. Notat quidem ſimilem loquendi conſuetu-  
 di nem ſuī temporis Hieronymus quæſt. in *Genef.* ubi: *Nec*  
*miremūr, ait, barbaram linguaſ habere proprietares ſuas,*  
*cum hodieque omnes filii vocentur infantes.* Verum ex illius  
*et vi vocabula in JČtorum scriptis occurrentia expli-*  
*carī non poſſe per le patet; quamvis ex eo forſitan man-*verit,* quod hodie etiam Regia proles Hispānica Infantes  
 appellentur. Vid. du Fretne *gloſſar.* *Latin.* voc. *infans.*  
 Ego potius ad rem iſpam accedo, & Infantiā verbiſ Iſido-  
 ri l. 11. Orig. 2. definiō, *primam etatem pueri naſcentis ad*  
*lucem, quæ porrigitur in ſeptem annis.* Dixi *primam etatē:* licet enim, pro varia etatis humana divisione, varie  
 quoque prima etas accipiatur, & plerumque in jure noſtro  
 hoc nomine veniat impubes etas, in l. pen. C. d. *impub.*  
 & al. ſubſtit. & alibi, quatenus tamen Infantiā tanquam pri-  
 muſ vita humana gradus ſeu periodus conſideratur, illa  
 etas merito ſecunda. *Nov.* 72. in pr. hæc autem prima ab  
 Iſidoro, ut & Ambroſio l. 6. epift. 39. vocatur. Porro ini-  
 tium infantia exprimit definitio in verbis *pueri naſcentis*  
*ad lucem:* nam infantia a die natali & ipſo nativitatſ mo-  
 mento ſtamini orditurn. Ita jamjam natuſ inſans vocatur in  
 l. 19. §. 7. D. locat. & in Rubr. C. de infant. expoſ. infantes  
 ſunt languinolenti ſeu recens nati, adeoque ibidem hoc no-  
 mine non ſignificatur integra prima etas, ſed prime cunæ,  
 urī explicat Cujac. in *Paratitl.* Cum ergo initium capiat  
 Infantiā demum a momento nativitatſ, conſequens eſt, fi-  
 euri non eſt pupillus, qui in utero eſt l. 161. de R. J. ita  
 quoque eum infantem proprie dici non poſſe, quia infantia*

tia refertur ad ætatem hominis; hæc vero non a conceptionis initio, sed a nativitate primum computanda venit: præterquam quod foetus in utero matris adhuc homo non fit, imo nec animal secundum principia Stoïcorum. Plutarch. l. 5. de placit. Philos. 15. quos nostri sequuntur, l. 9. §. 1. ad l. Falcid. l. 1. §. 1. de ventr. inspic. l. 2. de mort. infer. Justinianus hominem speratum vocat l. 14. C. de fid. lib. pariter ac Ovid. Spem hominis lib. 15. Metamorph. V. 217. v. Merill. l. 1. obser. 16. Freher. l. 1. virisim. 17. & Cl. Otto, Præceptor meus ac Promotor exoptatissimus, in Vit. Papin cap. 9. §. 4. Missis igitur hisce, utpote ad præsentem materiam non pertinentibus, ad ultima definitionis verba progredior, de infantia termino diligentius acturus.

## II.

Infantia namque, ut habet definitio, porrigitur in ptem annis. Alter longe Theophilus ad §. 10. f. inutil. sīpūl. qui putat infantes dici eos tantum, qui adhuc lactant, aut his paulo maiores, inductus forsitan illo Virgil. l. 6. Æneid. v. 427.

*Infantumque anima flentes in limine primo:  
Quos dulcis vita exfortes, & ab ubere raptos  
Abstulit atra dies.*

Verum prorsus erronee, uti ex sequentibus patet, quamvis ipi adstipuletur Charondas, l. 2. verisim. 6. Sane si Stoïcorum sententiam exploremus, illi jam olim septimum quemque annum ætati signum imprimere voluerunt, ut Seneca dixit l. 7. de benef. cap. 1. Atque hinc Merill. l. 1. obs. 14. multa in Jure Romano a Stoïcis repetere solitus, hac quoque in re JCtos principia eorum fecitos, infantiam septimo anno terminasse existimat, eumque in finem laudat l. 1. §. 2. D. de admin. tut. l. 8. C. Th. de bon. matern. & l. 18.

A 2

*l. 18. C. de Jur. deliber.* Verum tempora distingueda videantur: neque enim putem, JCTorum ex Infantiā in jure certo annorum numero circumscriptam, sed terminatam tantum suisse naturali loquendi facultate uniuscunus que pueri; quare certa ea in re norma servari minime potuit, eo quod alii maturius, alii serius fari posse incipiunt: hinc eum paſſim in jurisconsultorum legibus mentio fiat ejus, qui fari non potest vel potest, atas tamen certa non exprimitur; veluti *l. 65. §. 3. D. ad S. C. Trebell. l. 70. D. de V. O. l. 2. D. rem. pup. ſalv. for. l. 30. §. 2. 4. & 6. D. de fid. libert. Juncit. l. 1. §. 15. D. de magistr. conv. l. 9. D. de aq. hered. l. 217. de V. l. 5. de R. J. Accedit, quod quædam effet contrarietas inter *l. 12. §. 3. D. de usuf. & l. 6. §. 1. D. de oper. serv.* si Infantiā in Digestis jam septem annis definiātā effe ſtaruamus, & Ulpianus ſecum ipſo pugnaret, qui in una lege minoris septem annis, in altera minoris quinque annis nullas effe operas aſſiceret. Et fruſtra Rad. Fornerius ſecundum hanc hypothēſin leges itaſas conciliare voluit, *l. 1. rer. quodid. cap. 21.* nam explicatio, quam attulit, per *l. 55. de usuf. refellitur.* Quod hī, ut oportet, ordinem & diſtinctiōnem temporis ſervemus neque infantiam tunc determinatam ſuisse dicamus, facile inter haſſe leges convenier; etenim ſaſe accidit, idem, quod in una lege generaliter & indiſtincte proponitur, alibi diſtinctius & accuratius definiſti, atque ita mirum non eſt, quod Ulp. in *d. l. 12.* generalius dicit, infantis nullas effe operas, ab ipſo in *d. l. 6.* certis annis circumſcribi. Porro ut ad leges Codicis, & tempora Byzantinorum Principum oculos veritamus, reperio in Constitutionibus quoque Diocletiani & Constantini Magni, infantes non aliter ab infantia majoribus diſtingui, quam ſola loquendi facultate, v. *l. 3. C. qui adm. ad bon. poſeff. l. 1. C. ad S. C. Tertull. & l. 26. C. de donation.* ut adeo ne tunc quidem fixus infantia terminus fuerit. Huc etiam facit quod Constantius, Constantini M. filius*

filius in l. 4. C. Th. de bon. matern. ubi agit de successione  
 in bona materna filiorum defunctorum, distinguit, an filius  
 intra sexum etatis annum, an vero post illud tempus de-  
 cesserit; hac enim sex annorum etate Imperatorem hoc in  
 casu Infantiam designasse, ex argumento legis valde est pro-  
 babile: neque is mihi videtur ita definiturus fuisse, si jam  
 tum constitueret, eam etatem septem annis terminari. At  
 vero quemesmodum jura sensim incrementa, & quamplu-  
 rima, qua primum incerta ac vaga fuerunt, tandem Con-  
 stitutionibus Principum certius definita, & ad umbilicum  
 certitudinem fuisse, & occasione bonorum possessionis,  
 a patre pro infante filio petenda, infantiam septem anno-  
 rum ipatricko circumscripsit, in l. 8. C. Theod. eod. tit. quæ  
 cum idcirco sit memorabilis ac notata digna, ejus verba  
 huc pertinentia adscribere placet: sunt autem sequentia:  
*Certis annorum intervallis, in bonorum possessione maternæ  
 hereditatis a patre poscenda, infantis filii etatem nostra au-  
 toritate prescribimus ut sive maturius, sive tardius filius fan-  
 di sumat auspicia, intra septem annos etatis ejus, pater bo-  
 norum possessionem implorebat; bac vero etate finita, filius E-  
 dicti beneficium petat &c.* Post hanc sane Arcadii Constitu-  
 tionem jam non amplius infans dicitur, qui fari non po-  
 test, nec infancia major, qui fari vel loqui coeperebat; sed ex-  
 presse infans vocatur minor septem annis, & infantiam e-  
 gressus, qui septem annos exarata & impletivit. v. l. 18. pr.  
 & §. 4. C. de Jur. delib. quæ est Theodosii Junioris, filii  
 Imperatoris Arcadii. Distero quoque post d. l. Isidorus In-  
 fantiam ait porrigi in septem annis. & Gæci in l. 12. D. ad  
 l. Corn. de siccari. infantem accurate exponunt τέν μη ἔτε  
 οὐτετέν. quamvis iidem in l. 4. de in Jus voc. l. 1. §. 5. de  
 acquiri posse. & alibi; ut & Harmenop. l. 6. epir. 6. infan-  
 tes inclusiue interpretentur επταετες, id est, septennies. v.  
 Leunclav. l. 2. notat. Tom. 3. Thes. Jur. p. 1506, sicuti con-  
 tra

tra septennis seu qui septem annos excessit *infans* vocatur  
in veteri lapide apud Gruterum p. 679. n. 7.

D. M. ET  
PERPETUÆ SECURITATI.  
CRASSICIO  
CONSTANTINO  
INFANTI DUL-  
CISSIMO QUI  
VIXIT ANNOS VII.  
ÆLIUS ÆLIANUS  
ET CRASSICIA URSA  
PARENTES FAC-  
ENDUM CURAVERUNT.

## III.

Hanc autem explicationem jurisque progressum vehe-  
menter turbant duas leges Pandectarum, quarum altera est  
*L. I. §. 2. d. admin. tut.* altera *L. 14. de sponsal.* Ex quibus evi-  
denter constare videri posset, Infanciam non tantum Mo-  
destini, sed etiam Ulpiani temporibus in jure quoque se-  
ptem annis jam fuisse determinatam. Verum recte observa-  
vit Jacobus Gothofredus *in comment. ad d.l. 8.C. Tb. de bon.*  
*mat. agnoscendam omnino in hisce legibus esse manum*  
*Tribonianii, qui ex mandato sui Imperatoris (v. l. I. §. 7. de*  
*vet. Jur. enucl.) textus illos ad laudatam Arcadii Constitu-*  
*tionem paululum inflexerit: nam cum Ulpianus in d. l. I.*  
*§. 2. D. de adm. tut. scripsisset: pro his autem, qui fari pos-*  
*funt &c. ille repoluisse videtur: pro his autem, qui supra*  
*septimum annum etatis sunt. Quod etiam firmatur ex eo,*  
*quod Jctus, ibidem quoque de infantibus loquens, non*  
*dicit: pro his, qui minores sunt septem annis, sed pro his,*  
*qui fari non possunt, ut adeo qui fari non possunt iis, qui*  
*possunt, oppoluisse videatur. Præterea Ulp. alibi nunquam*  
*in-*

infantis etatem certo annorum numero finivit, sed pariter ac ceteri Jcti Infantia majores non aliter ab infantibus distinguuntur, quam fandi potentia, uti ex legibus supra allegatis liquet. Quin imo in l. 1. §. 10. in f. de ventr. inspic. quæ ejusdem est Ulpiani, ubi Infantia in quatuor periodos est divisa, quarum tres priores accure ac præcise triuum mensium, sex mensium, & anni spacio definitiuntur, ipsa tamen infans minime determinatur; quod hic utique factum fuisset, si sepiem anni huic etati jam tum fuissent præstuti. Ad l. 14. de sponsal. quod attinet, adiecta ibi videntur postrema haec verba: *Id est si non sint minores, quam septem annis.* Quid ut alio intuper arguento adstruamus, observari veniam, Modestinum in libro quarto differentiarum, unde hæc lex delimita est, inter alia quoque tractasse differentias intersponsalia & nuprias, uti Cuiacius notavit, & patet ex hac ipsa lege, quæque huic utiliter conjungi potest, l. 32. ad municip. Et quidem in b. l. 14. Jctus unicum tale dilicimen memoravit, in eo confitens, quod *in sponsalibus contrahendis etas contrahentium definita non sit, ut in matrimonio.* Licer enim (quod in transitu moneo) iam olim ex lege Papia Poppea puella, decem annis minor, desponderi non potuerit, auctore Dione Cassio l. 54. illud tamen huic affectioni minime refragatur, ut multis ostenderunt Jac. Gothofredus ad L. Pap. Popp. Tom. 3. Thes. p. 212. & ad l. 4. C. Theod. de sponsal. & Cl. Heinecc. ad L. Jul. & Pap. l. 2. cap. 5. Cum itaque Modestinus dicat contrahendis sponsalibus etatem certam præfiniram non fuisse, ex eo colligi posse opinor, ultima verba, quæ de sepiem annis loquuntur, non esse genuina, nec Modestinum illud scribere potuisse; alias enim caderet hæc differentia inter sponsalia & nuprias; nec Jctus sibi ipsi constaret, in principio legis proponens differentiam, quam in fine penitus everrit. Plane non video quomodo potuisset dicere, in sponsalibus contrahendis certam etatem definitam non esse, & simul tamen

præ-

præcise etaten septem annorum præstituere. Præterea  
 forsitan non sine ratione dubites, an verba illa si modo id  
 fieri ab utraque persona intelligatur, ex mente Modestini  
 hunc sensum habere possint, eos non minores septem annis  
 five infantia tantum maiores esse oportere, & an non poti-  
 us aliquid plus significare deberent, si confideres, Juriscon-  
 sultos non nisi de pubertati jam proximis prædicare tote-  
 re, eos quod sit vel agitur intelligere. v. l. 1. 13. de O. & A.  
 & cap. seq. §. 3. Nec tamen culpamus Tribonianum, quod  
 dicta verba ita fuerit interpretatus, atque infantiam eges-  
 sos, sicuti alias ex benignitate juris pacisci ac promittere  
 possunt, ita quoque sponsalia contrahere posse statuerit;  
 siquidem jam dudum observatum est, duplicum hodie sen-  
 sum adferendum ad multas leges, Corpore juris inclusas,  
 unum primigenium, alterum ex ipsis Tribonianis mente.  
 v. Jac. Gothot. Tom. 2. C. Theod. p. 661. Arque haec sunt ra-  
 tiones, quibus sententiam Gothotredi, leges istas a Tribo-  
 niano interpolatas, & ad d. l. 8. C. Th. de bon. mat. infle-  
 xas esse existimantis, corroborari posse putem. Ceterum  
 hoc emblemata in l. 14. de sponsal. eriam suboluit doct.  
 Brouweri de Jur. Connub. lib. 1. cap. 3. n. 7. quamvis i-  
 plum Arcadii Conflitio in d. l. 8. fugisse videatur; saltem  
 ita ut sentiret, alia ratione fuit motus: nam non opus fuisset,  
 ait, JCTo expressum quid de minoribus septem annis caverere,  
 cum & a primordio etatis idem denoret ac ab ineunte pueri-  
 tia; que verba satis distinguunt pueritiam tempus a primordio  
 vite, quod infantiam complectitur. Novell. 153. pr. Verum hic  
 interpretatione non uitimur, utpote aliena a mente Mode-  
 stini: nam si primordium etatis ingressum pueritiae deno-  
 taret, absurdum esset legis sententia: etenim quenam hac  
 foret argumentatio? in sponsalibus contrahendis nulla etas  
 prefinita est, ergo post infantiam denum contrahi possunt.  
 Quin imo sic quoque Tribonianus verba finalia, id est si  
 non sint minores septem annis, verbis a primordio etatis

sub-

subiecisset. Adhac non tantum mens Modestini, sed & proprietas vocum huic explicacioni repugnat; nam cum infantia sit pars aetatis humanae, l. 55. de usufr. & aperie aetas infantis ab aetate pupillari seu puerili distinguatur, l. 13. C. de Jur. delib. imo impubes seu puer expresse in secunda aetate constitutus dicatur. Nov. 72. pr. utique sequitur, quod infantia, non pueritia, sit prima pars, sive ut Modestinus loquitur, primordium aetatis, quod idem est ac primordium vite, siquidem aetas hominis cum vita incipit & finitur. At aliud quid indigitant vite primordia in pluri numero in Nov. 153. pr. pariter ac in l. ult. C. de infant. exp. nec enim totam Infantiam complectuntur, sed tantum breve tempus septem vel octo dierum post nativitatem, qui praecedebant diem lustricum sive diem nominum, quo infanti solenni ritu nomen imponebatur; quod etiam ipse Justinianus latet innuit, dum quos in ipsius vite primordiis expositos ait, eosdem paulo ante vocat *vix ex utero progressos infantes*. d. Novell. De hisce primordiis loquitur Servius ad Virgil. Eclog. 4. nam ipsum puerum inter ipsa primordia, id est, non die periisse manifestum est. Merili. De die autem lustrico vid. l. 2. obs. 33. Heinecc. ad L. Jul. & Pap. l. 2. cap. 14. §. 4. & Cl. Otto Jurispr. Symb. Exere. 3. c. 5.

## IV.

His ita compositis, superest rationem videamus, quare Arcadius Imperator in sape memorata l. 8. C. Th. de bon. mat. Infantiam praecise septem annis finiverit. An igitur hic confugiemus ad ignorantia illud asylum in l. 20. d. legibus? nec aliam eius rei reddi posse rationem dicemus, quam multorum in Jure, quorum non alia ratio adferri potest, quam quod ita jure positivo constitutum fuerit, quod praesertim locum habet in his, quae circa Arithmeticam versantur, numerosque annorum legibus praescriptos. An vero

B

dice-

dicimus, cum Merillio, petitam esse hanc infantia definitiōnem a Stoicis, e quorum doctrina alia quoque juris Romani principia hauſta finit; v. Cuiac. l. 26. obf. 40. Forrassē non sine ratione quis existimat delumatum hoc esse ac Hippocrate, cuius auctoritatem multum valuisse apud Jctos constat ex l. 12. D. de stat. hom. & l. 3. §. 12. D. de ſuis & leg. hered. ille enim in fragm. de etate difterre *Infans*, inquit, est usque ad septem annos dentium amissionem. Ut ut sit, illud certum est. Veteres occultam virtutem ac vim quandam numero ſeptrario adſcripſiſſe: nam Chalcidius in *Platon.* *Timœum* p. 108. ita ſcribit: Septenarius numerus laudatur a Pythagoreis, ut optimus & naturaliffimus & ſufficientiffimus, ac Cenforinus numerum Septenarium in omnibus plurimum poſſe affirmat de *Die Nat.* cap. 7. Sane Justiniano quoque noſtro numerus hic perfectus & myſticus videbatur; ait enim ſe Digestorum libros non ſine ratione in ſeptem partes digeſtiſſe, ſed in numerorum naturam & artem reſpexiſſe, l. 2. §. 1. C. de ver. *Jur.* enucl. In Sacris præterea literis myſticus hicce numerus ſapientia occurrat, v. *Genes.* 41. *Numer.* 19. vſ. 11. & 12. L. 2. *Reg.* 5. vſ. 10. & 14. Gellius etiam l. 3. *Noct.* Att. 10. de vi ac potestate iſius numeri ex Vartone copioſe diſſerit, atque inter alia ad homines quoque naſcendos ejus vim pertinere ait, quod probat Paulus Jctus & ſimiliter ad rationem numeri Pythagorei provocat l. 4. R. S. tit. 9. §. 5. Denique Hippocrates alicubi *Nature* eterna neceſſitas, inquit, certis aut dierum aut mensium aut annorum hebdomadi vitam humanam regit & adminiſtrat. Idem ſentit Cenforinus de *Die Nat.* 14. Sed ex omnibus proxime videntur acceſſiſſe naturam, qui hebdomadibus humanam vitam emenſi ſunt: fere e im poſſe ſeptimum quemque annum articulos quosdam, & in his ali- quid novi natura offendit, ut & in elegia Solonis cognoscere datur. Id quod etiam exemplis conſiſt cap. 7. Siquidem ſeptem formemur mensibus, addiſiſque alteris recti conſiſtere.

sistere incipiamus, & post septem menses dentes nobis innascantur, idemque post septimum cadant annum: & latius adhuc Macrob. somn. Scip. l. i. c. 6. Post septem menses dentes incipiunt mandibulis emergere, & post his septem sedet sine casus timore, post iter septem sonus ejus in verba prorumpit, & post quater septem non solum flat firmiter, sed & incedit, post quinques septem incipit lac nutricis horrescere, post annos septem dentes, qui primi emercent, aliis aptioribus ad cibum solidum nascientibus cedunt, eodemque anno, id est, septimo plene absolvitur integritas loquendi &c. Huc quoque respexisse, & seprimi cujusque anni vim agnoscere videtur Lucretius l. 5. v. 671.

Nec minus in certo denteis cadere imperat etas  
Tempore, & impubem molli pubescere ueste,  
Et pariter mollem malis demittere barbam.

Aulonius in Monosyllab. Edyll. 12.

Indicat in pueris septennia prima novus dens.

Et Juvenalis Satyr. 14. v. 10.

-----  
cum septimus annus

Transiit, puer nondum omni dente renato.

Ex hisce patet, quantam virtutem Veteres numero septenario in variis etatibus adcriperint, atque haec igitur ratio fuerit, cur Hippocrates & Stoici eosque lecuti Romani juris compostores Infantiam prima etatis hebdomada definiverunt. Ceterum an natura ita soleat operari, ut illi putant, inquirant harum rerum peritiores, quibus secreta haec rimari volupe est. Plura interim de numero septenario dabunt jac. Gothofredus ad l. 55. C. Theod. de Decurion. Sam. Petitus l. 2. obser. cap. 1. Fabrottus exercit. l. Tom. 3. Thef. Jur. Rom. p. 1159. Constant. Landus exercit. p. 1398. aliquique allegati a Lindenbrog, ad Censorium de Die Nat. cap. 7.

## V.

Hæc de definitione Infantiz. Nunc operæ pretium erit, ut præcipua quadam infantum Jura breviter attingamus. Igitur, ut ab ipsis eunabulis ordinar, si contempletur infantulum recens in huncce orbem devolutum, vix ullum aliud deprehendetur animal, quod tanta a nativitate imbecillitas prosequitur; nudo quippe & infirmo corpore in lucem editur, nec sibi ipsis ullo modo prospicere potest, adeo ut nisi ope cōgenerum suorum foveatur arque nutritur, cito periturus, vel salem miraculi instar futurum sit, si sine aliorum hominum auxilio ad maturam atatem perveniat; quamobrem recte dixit Æschylus:

*Ætas prima, seu brutum pecus,  
Ut educetur, mentis alienæ indiget.*

Neminem autem proprius ea res tangit quam parentes, qui cum causa sint, cur existat infans & in lucem prodierit; idcirco de omnibus, quæ ad vitam ejus sustentandam necessaria sunt, prospicere debent; ad quod tenentur non ex jure imperfœcto & regulis honesti tantum, ut ratiocinatur Grotius de J. B. & P. L. 2. cap. 7. §. 4. verum lex naturæ ipsos quædiu liberi se exhibere non possunt, hac in re necessitate adstringit, ut rectius lentiunt Ziegler. in not. & Pufendorf. l. 4. de J. N. & G. c. II. §. 4. convenienter sententia Veterum JCTorum, qui nullo discrimine habent necare & alimenta denegare. v. l. 4. de agnosc. & al. lib. Junct. l. 5. §. 7. eod. atque hoc tam alte insitum est omnium gentium animis, ut ipsi barbari atque efferrati Hunni apud Amm. Marcell. l. 31. illud agnoseant. Nec mirum, etenim non solum id dictitat ratio, verum prima naturæ quoque cum brutis homini communia, & maximus ille effectus, quem sapientia Creatoris utrisque parentibus indidit, seu naturæ lis stimulus, ut Justin. loquitur in l. un. §. 5. C. de rej. ux. ac. parentes ad liberos alendos impellit; unde & JCTi nostri libe-

liberorum educationem retulerunt ad jus illud, quod natura omnia animalia docuit, l. i. §. 3. de J. & J. Denique non aliam ob causam auctor naturae matres mammis instruxit, quam ut proprio lacte parvulos suos enutrirent, atque ideo de more foeminarum, qua solius voluptatis vel pulchritudinis servanda gratia liberos suos aliis lactandos committent, graviter conqueritur, ac tales *contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus* appellavit Favorinus apud Gell. l. 12. cap. 1. Hinc & tantus est favor lactationis infentum, ut nutricia, id est, mercedes, qua nutritibus ob alimoniam infantum debentur, extra ordinem peri possint, quoad infantes uberibus aluntur, l. i. §. 14. de extraord. cogn. Hoc autem tempus Cujacius apud Romanos triennium fuisse existimat, l. 19. obs. 40. quia triennio majori demum alimenta decernerentur, l. 9. C. de patr. pot. adeoque *trimo majorem in d.* l. & ap. Ulp. tit. 16. §. 1. explicat nuper mamma depulsum five ablactatum; atque hanc in rem eriam adfert testimonium ex historia Maccab. lib. 2. c. 7. quod ad Hebraorum mores pertinet. v. Heiniec. ad l. Jul. & Pap. l. 2. c. 15. §. 6. Forsan ideo trimis minoribus olim non lugebantur teste Plut. in Numa, quia nondum erant ablactati: qua in re tamen postea aliter obtinuisse patet ex Paul. l. i. tit. 21. §. 13. ubi v. Cl. Schulting.

## VI.

Quasvis autem olim apud Romanos pro immensa illa patria potestate arbitrii paterni fuerit, velletne liberos recens natos tollere & alere, an vero occidere vel expondere, successu tamen temporis, intercentibus magis magisque Populi Rom. moribus, crudelis ille mos fuit abolitus, quem Justinianus merito vocat crimen a sensu humano alienum, & quod ne ab ulla quidem barbaris admitti credibile est, Nov. '53. v. Forner. l. i. Rer. quotid. 20. At quo tempore rigor ille penitus cessaverit, ea de re variae sunt eruditorum

sententia, quas meum non est examinare. vid. Ampliss.  
 Praes van Bynkershoek de Jur. Occid. lib. cap. 2. illud  
 certum est, Valentianum, Valentem & Gratianum cædem  
 & expositionem Infantum severe vindicari voluisse, & con-  
 tra sobolem nutriti jussisse, in l. 3. C. ad l. Corn. de siccari  
 & l. 2. C. de inf. expos. licet de earum sensu valde dilipue-  
 tur. Cujacii, Merilli & Ravardi sententias refutavit Jac.  
 Gothofredus ad l. 1. C. Th. ad L. Corn. de siccari. Hujus au-  
 tem, ut & Cl. Noodii in Jul. Paul. cap. 6. & 9. explicatio-  
 nem iterum excusit Ampl. Bynkershi. d. l. cap. 7. & 9. Quod  
 si pater non habeat nec habere posset, quo te ac suos stir-  
 tentet, atque ita infantem præ inopia alere nequeat, omni-  
 no æquius melius erit filium, ut salvus sit, in servitutem ven-  
 dere potius, & hoc modo necessitati cedere, quam fame,  
 miserrimo mortis genere, eum perire; atque talem The-  
 banorum legem, qua patri filium recens natum proper  
 extremam inopiam vendere permititur, memorat Albian.  
 l. 2. c. 7. quam a Phœnicibus ac porro ab Hebreis venisse, ac  
 deinde ad alios populos fluxisse, putat Grot. l. 2. c. 5. §. 5.  
 at cum in dictamine rectæ rationis fundamentum habeat,  
 ut si alia media liberos alendi non suppetant, omnis ratio  
 honesta sit expedienda eorum salutis, dici potest, diversas  
 illas gentes eandem legem ex ipso lumine naturali arripius-  
 se, sicuti mulvis ostendit Celeb. Otto in Præf. ad Tom. 3.  
 Thes. Jur. Rom. p. 13. Lepidum talis venditionis jam in  
 adultioribus exemplum ex Aristophane produxit Gilb. Re-  
 gius l. 1. enant. 21. ubi Megarenis quidem filiabus optionem  
 dat, vellentne vendi, an potius domi fame perire, &  
 puellæ cito respondent Vendi Vendi. Apud Romanos si-  
 militer liberos, nulla habita aetatis differentia, contempla-  
 tione extrema necessitatis vendere licuisse discimus ex  
 Paul. l. 5. tit. 1. §. 1. Postea vero Constantinus M. Chri-  
 stiani Principis officium omnibus modis implere studens  
 pie prospicere quoque voluit, ne parentes extrema egestate  
 pressu

pressi infantes suos in miseram servitutem vendere cog-  
 rentur, neve etiam ad dirum parcidii aut expositionis  
 facinus prorumperent: ideoque in l. 1. C. Th. de alim. quæ  
 inop. par. de publ. per. & quidem ad instantiam Lactantii, eo  
 tempore præceptoris Crispī, uti conjectit Jacobus Gotho-  
 fredus, constituit, ut alimenta non tantum ex fisco publico,  
 sed etiam ex re privata Principis præberentur parentibus,  
 qui sibiolum luam alere non possent, eleganti hac addita  
 ratione, quod educatio naçcentis infantia moras ferre non  
 possit. Non minus pio instituto jam olim optimi Principes  
 Nerva, Trajanus, Hadrianus, Antoninus Pius, Marcus &  
 Severus pauperes pueros puellasque sumtu publico, vel e  
 Prætoriorum donis ali jusserunt, quemadmodum de fin-  
 gulis late probavit Cl. Otto de Aëdil. colon. c. 8. §. 5.  
 At vero Constantinus d. l. 1. salutare propolitum  
 luum affecitus non videtur, certe aliter rursus infantum  
 nutritioni & incolumentati consulendum puravit: nam jus  
 vetus apud Paul. d. l. in usum revocavit in l. 2. C. de patr.  
 qui fil. disfr. sed quod hic de filiis simpliciter dixerat, ille  
 refringit ad sanguinolentos, id est, recens editos, &c. ut Ju-  
 venalis air, adhuc a matre rubentes: licet enim alii cum Ha-  
 loandro legant sanguinolentus, latis tamen cervum est cum  
 Cujacio ad d. loc. Paul. & Gilb. Reg. loc. alleg. sanguinolen-  
 tos, ut legitur, legendum esse, postquam id tot argumentis  
 evicit Jac. Gothofr. ad l. un. C. Th. de his qui sang. emt.  
 Ceterum hæc Constantini legislatio iterum quandam mu-  
 tationem est passa per l. un. C. Th. de patr. qui fil. disfr. &  
 Nov. Valent. tit. II. quæ tamen leges Justiniano dislocuisse  
 videntur; nam solam Constantini legem, reliquis missis,  
 codici suo interuir. Plura ad intellectum harum Constitu-  
 tionum & progressum juris pertinentia vide ap. Jac. Goth.  
 Tom. 1. C. Th. p. 258. & 444. & Tom. 4. p. 189. nec non  
 Ampliss. Bynkersh. de jur. occid. lib. c. 8.

Antequam ulterius pergamus, juvabit generale hic p-  
 suisse principium, unde sequentia prono alveo fluere videarur.  
 Scilicet ea quidem est hominis præ brutis animalibus no-  
 bilitas & excellētia, ut reliquis omnibus emineat ratione  
 præterim atque sermone; at vero effectus istius prærogati-  
 væ in Infante nondum cernitur, sicuti enim instrumentis  
 loquela licet instructus, facultate tamen loquendi nondum  
 pollet infans; ita quoque anima rationali quamvis præditus  
 sit, rationis tamen usum adhucdum non habet, nec facul-  
 tates mentis in eo vim suam exserunt, ideoque Infantes nul-  
 lum dicuntur habere intellectum in §. 10. *J. de inut. si-  
 pul. & JCti eos paſſim conjungunt, & comparant furios. v.  
 l. 60. de R. V. l. 2. de condič. furi. l. 4. pr. de injus voc. l. 10. de  
 oper. nov. nunciat. l. 6. de liber. caſ. ut & absentibus & dormi-  
 entibus l. 209. & l. uit. de V.S. Hinc & Plinius l. 7. bifl. nat.  
 cap. 50. Nec reputantur, sit, infantia anni, qui sensu careant.*  
*Etsi autem infans ante impletos septem annos jam aliquo  
 modo fari possit, attamen nequid bene ordinatis dentibus  
 sermonem minus clare exprimit, atque, ut Macrobius ait,  
 septimo demum anno ablolvitur integritas loquendi, certe  
 ut ut loqui possit, nondum tamen intelligit, quid loqua-  
 tur: unde Stoici verba infantis veluti corvi aut cornicis ha-  
 bebant, eumque non loqui, sed quasi loqui ajebant, uti ex  
 Varrone l. 5. de Ling. Lat. Cl. Otto ad §. 10. *J. de inut. si-  
 pul.* Ex quibus manifeste patet infantem pacisci vel pro-  
 mittere nullo modo posse: in omni enim paciente requi-  
 ritur usus rationis haſtenus, ut praefens negotium intelli-  
 gat, an sibi conveniat, & a ſe praſtari poſſit, eoque per-  
 penſo conſenſum ſuum ſufficientibus ſignis exprimere que-  
 at, adeoque licet infans verba promiſſoria forte enuntiare  
 poſſit, cum tamen facultate conſentiendi physica defi-  
 tuatur, non magis quam pica vel pſittacus obligatur §. 10.  
*J. de inut. siſ. uti nec versa vice aliud ſibi obligare po-  
 refit,**

test, quia consensum non in pactis solum, sed & in promissis oportet esse mutuum, & acceptancem ejus, cui promittitur, accedere: nam conventio est duorum in idem placitum consensus, & nisi animus utriusque consentit, perducit ad effectum id, quod inchoatur, non potest auctore Javoleno in l. 55. de obl. & act. Unde porro sequitur, si in terminis naturalibus maneamus, infantes dominii per se plane esse incapaces: nam dominium non datur nisi in eo, qui signis ex intentione procedentibus indicare valet animali libi habendi, idque etiam agnoscent Jcti nostri, quando dicunt, *Infantis nullum esse sensum accipiendi possessionem, eumque affectionem tenendi non habere, licet maxime corpore suo rem contingat, sicuti si quis dormienti aliquid in manu ponat, l. 1. §. 3. & l. 32. §. 2. de acquir. possess. hinc & Augustinus, l. 14. de Civit. Dei. Puer infans, ait, quamvis dirissimus, nil possidet mente sopita.* Quia tamen res, qua dominio sublunt, ad ultus viræ spectant, nec minus infantibus quam adultis sunt necessaria, immo illis paucis magis, quod sibi æque ut adulti consulere non possunt, hinc ipsa ratione naturali & aequitate suadente receptum est, ut parentes vel tutores ipsis acquirere, & omnia pro illis gerere & administrare possint. vid. l. 1. §. 2. de admin. tut. 37. §. 1. ad S. C. Trebell. l. 18. C. de Jur. delib. nec opus est, ut propterea cum Grotio l. 2. c. 3. §. 6. dicamus, totum genus humanum interim quasi sustinere personam infantum: nam lex civilis pro illis vigilat, ipsisque dat facultatem retinendi, & acceptandi animum supplet. v. Pufendorff. de off. hom. & civ. l. 1. c. 9. §. 10. & 16. ibique Cl. Otto in not. Recke tamen Grotius d. l. infantibus tantum concedit dominium in actu primo, non in secundo, sive, ut alibi loquitur, inquiete, non in actu, quia alienatio aliave de bonis dispositio in ipsa lui natura includit actum utensis ratione voluntatis: jam vero humana jura multa quidem constitutre possunt præter naturam, at contra naturam nihil:

C

hil:

hil: quapropter eam distinctionem etiam in infante Rēge servandam docet, qui licet jus habeat, imperium tamen exercere non potest, l. 1. c. 3. §. utr. junct. l. 3. c. 20. §. 3. Atque ita de exercitio dominii intelligendum videtur, quod Paulus Apostolus heredem, quādiu Infans est, nihil differre a servo, quamvis sit dominus omnium, Epist. ad Galat. c. 4. v. 1. Ambrosius l. 9. epist. 73. Parvuli heredes, inquit, nomen nudum hereditatis non auctoritatem usurpant, jubendi jus & vetandi non habent, quia plenitudinem sue exercitatis expectant, ut a curatoribus liberentur. Ceterum simplicitatem illam naturalem, secundum quam dixi Infantes dominii per se esse incapaces, nec sibi acquirere posse, præ oculis habuisse & fecutus videtur Constantius Imp. quando in l. 4. C. Th. de bon. mat. circa successionem in bona materna maternique generis filiorum defunctorum ita fancivit, ut bona illa tum demum ad patrem devolvantur, si filius mortuus annum attingit sextum jam esset emensus (quod antea indistincte siebat) at si filius intra annum sextum deceperit, tunc ad heredes materni generis pertinere debeant: hujus enim distinctionis non alia ratio esse videtur, quam quod bona illa nondum tam firmis nixa erant radicibus in persona filii intra eam attingat (qua infantiam hoc in calu designari supra monui) decedentis, ut ipsi plena acquifita esent, adeoque ad patrem ejus transmitti possent, verum adhuc maternorum naturam sapere & ad familiam maternam quoddammodo pertinere videbantur: quam fuisse mentem ita statuisse, ut ex familia materna manantes facultates eidem iterum ceſſisse potius, quam adēpta esse videantur. v.  
Jae. Gothofr. comm. ad d. l. Tom. 2. C. Th. p. 68.

## VIII.

Quemadmodum autem ex facto licto non obligatur Infans, ita nec ex illico, quod operosa non indiget demonstratione: cum enim nemini imputari possint nisi illæ actio-

actiones, quæ præludente intellectu ac decernente voluntate suscipiuntur ac diriguntur, sc̄ preterea in delicto requiratur dolus ac delinquendi propositura; patet satis tale quid in hanc etatulam non cadere, quippe cui etiam nondum inherent actuales & distinctæ propositiones circa agenda & fugienda, ut adeo actiones suæ ad normam comparare nequeant, atque hinc Sacra Literæ infantilem etatem describere solent ignorantem recti & turpis, atque bonum eligere & malum vituperare nesciam. Vid. Deuter. cap. 1. vſ. 39. Jesaiæ cap. 7. vſ. 15. & 16. & Jona c. 4. vſ. 11. Similem fere in modum Seneca Epistol. 124. Quantulum interefit, ait, inter eum, qui cum maxime vitam accipit, & illum, qui maternorum viscerum latens onus est, uterque quantum ad intellectum boni & mali æque maturus est: & non magis infans adhuc boni capax est, quam arbor aut mutant aliquid animal. Itaque Aristoteles l. 1. magn. moral. 34. tradit, si quid infantes committunt, quod speciem delicti p̄ se fert, veluti si parentes cedant, id eos nescientes facere, hancque ignorantiam, quia naturaliter eis inest, nec ipsi ejus causa sunt, absolvere eos ab injuria. Quod autem proprie talia increpantur aut verberantur, id tantum sit per modum nuda emendationis, & disciplinae, ne per talia molestiam aliis faceant, aut ne pravam adfuerudinem contrahant, non ideo autem quasi in foro poenam proprie dictam meriti sint. Neque alia est doctrina Jurisconsultorum: etenim non tantum dicunt, infantes affectu doli & captu contumelias carere, atque idcirco furtum in eos non cadere, neque injuria facienda esse capaces, Paul. l. 5. Recept. sent. tit. 4. §. 2. & l. 23. d. furt. verum nequidem in parvulis ullam ajunt deprehendi culpam, qua ipsis imputari possit, l. pen. S. 1. de Fideic. libert. ideoque pronunciant, quod infans perdidit vel corrupit, impunitum esse, l. 60. de R. V. imo quemadmodum si furiosus, vel quadrupes pauperem fecerit aut si tigula ceciderit, Aquilia cessat, ita quoque, si

infans damnum dederit, l. 5. S. 2. ad L. Aquil. scilicet in omnibus hisce casibus infantem innocentia consilii tuerit, ut eleganter resporidit Modestinus in l. 12. ad L. Corn. de Sicar. Atque hæc consilii innocentia & imbecillitas infantum eosdem in bello quoque tuerit & securos praestare debet aduersus vim ac furorem hostium, uti late docet Grotius l. 3. de J. B. & P. c. 11. §. 9. Multa quidem passim in Historia veteri ac recentiore extant exempla hostium, in devictos promiscue nulla ætatis ratione habita sevientium, in quorum quadam ex antiquis notavit idem vir magnus l. 3. c. 4. §. 9. verum illud cum ipso referendum est ad id, quod licet impune jure belli externo, ideoque apud homines poenæ non subjacet: nam secundum justitiam internam truculentam infantum cædem minime posse exculari, conflat, &

*Crimine quo parvi cædem potuere mereri?*  
 queri potest cum Lucano l. 2. Pharsal. vſ. 108. Huc etiam facit pulcher locus Arnobii l. 7. advers. gent. *Quid adulatae virginis, quid puerculi fecere pustiones? quid denique abhuc parvi, nutricum sub alimonia constituti, ut in eos immitteretur par & una sevitia, priusque acerbiratem mortis, quam dulcedinem aliquam perciperent luminis.* Ipse Deus in bellis Hebræorum etiam post pacem repudiatam parci vult infantibus, Deuter. 20. vſ. 14. imo cum Ninivitis intercessionem minatus esset, retrahit se passus est miseratione multorum millium ejus ætatis, quæ honesti & inhonesti discrimina ignoraret Jonæ 4. vſ. 11. Quapropter in conscientiam minime tuti esse poterunt, qui sevitiam suam in innocentem hanc ætatem etiam exercent, atque idcirco tales pesimae semper apud gentes moratores audire. Ita Valerius Maximus Munatii Flacci in infantes efferatam vocat crudelitatem, & auditu etiam intolerabili, lib. 9. cap. 2. §. 4. Et plura hanc in rem Veterum testimonia congregavit Grotius, loc. laud.

CA-

## CAPVT II.

DE INFANTIAE ET PVBERTATI  
PROXIMIS.

## §. I.

Missa Infans pergit ad etatem eorum, qui infantiam egressi pubertatem nondum attingerunt, quæ ideo secunda etas a Justiniano vocatur in Nov. 72. pr. Etsi, quoniam impubes etas generaliter summa infantiam sub se comprehendit, frequentius primæ etatis nomine veniat in jure nostro, l. pen. C. de impub. & alior. subst. l. ult. §. 3. C. de bon. quæ lib. l. unic. C. Th. de his qui ven. et. imp. & apud Senecam in Consol. ad Marc. c. 20. Intra quatuordecim quedam annos defatigantur, & hæc illis longissima etas est, quæ homini prima. Hi autem infans majores impubes iterum in duas classes distinguuntur, uti notum est: alii enim sunt Infans, alii Pubertati proximi. At cum in jure expresse definitum non reperiatur, quomodo hi a se invicem distinguiri debeant, hinc in variis ea de re interpres iure sententias, quarum portiores perstringere juvabit. Prima sententia esto Donelli ad l. 127. de V. O. Vinnii ad §. 9. I. de inutil. stipul. Huberi in prelect. ad tit. D. de stat. hom. §. 6. qui cum Accurso torum tempus ab infans finita usque ad pubertatem in duas æquales dividunt partes, quarum primam tribuunt infans proximi, alteram pubertati proximi, ira ut masculus, qui annum decimum cum dimidio excessit, puella autem, qui et annum nonum cum dimidio egressa est, ipsis habeantur pubertati proximi. Verum hæc sententia quamvis forte quoad negotia civilia probanda sit, in criminalibus tamen & odiosa delictorum materia, ubi hæc distinctio potissimum usum habet, minime procedit: namque absurdum videtur tenella ejusmodi etatis pueros & quidem puellas adhuc citius, si aliquid com-

miserint, dolii ac delinquendi capaces haberi, atque idcirco a  
magistratu puniri. (2.) Quare nec probo interpretationem,  
Gracorum, qui, teste Jacobo Gorhofredo in comm. ad l. III.  
de R. J. pubertati proximum statuunt esse eum, qui annum  
agit decimum vel nonum, vel etiam ab anno septimo usque  
ad decimum quartum: quia sententia ferme placuit Marci-  
lio ad §. 9. J. de inut. stipul. qui Pubertati proximum ab o-  
ctavo vel nono aetatis anno computat, idque Theophilii  
auctoritate. (3.) Cujacius l. 17. observ. 4. & Wiffenbach: ad  
l. 10g. de R. J. cum Jasone proximum Pubertati censem eum,  
cui sex tantum menses seu semestre tempus ad Pubertatem  
debet, quod tamen minime evincit l. 17. pr. de excus. tut. (4.)  
Petr. Faber ad l. 5. & Rævardus ad l. III. de R. J. pubertati pro-  
ximum interpretantur eum, qui complevit duodecimum a-  
etatis annum, & ingressus est annum decimum tertium, qui  
bus suffragatur Leo in Epitom. leg. ult. n. 21. idemque &  
veteres Franci centere in lege Salica tit. 26. Atque ab hac  
explicatione non multum ablidit (5.) sententia Cujacii ad  
§. 10. J. de inut. stipul. & ad l. 13. de dot. mal. quam etiam  
sequuntur Merill. l. 7. observ. 4. & Cl. Noodt ad Leg. Aquil.  
c. 10. & ad Digesta p. 18. qui tertium decimum annum re-  
quirunt completum, & sic Pubertati proximum accipiunt  
eum, qui anno ferme a pubertate absit; quam opinionem  
juvat Servius Grammaticus, qui ad Virgilii Eclog. 8. vs. 39.

*Alter ab undecimo tum me jam ceporat annus.*

ita notat: *id est, decimus tertius: alter enim de duobus dici-  
mus, & vult significare, se jam vicinum fuisse pubertati, quod  
de duodecimo anno procedere non potest.* Galenus quoque  
Pubertati proximum definit, *cui annus ad pubertatem su-  
perest, l. 3. aphor. 27. ac similiter Graci verba illa, si proxi-  
muss. pubertati est, in l. 13. §. 1. de dol. mal. explicant quem  
erdecim annos impleverit, auctore Leunclavio l. 2. norat.*  
Tom.

Tom. 3. Thes. Jus. Rom. p. 1507. At alii rursus interpretentur  
 hac in quaestione apercites haerent, nec certi aliquid definitur:  
 sic Fabrotus exercit. 9. inter tres hanc posteriores len-  
 tentias fluctuat. Jac. Gothofredus simpliciter eisdem ve-  
 ro propiores esse affirmat in odio salem delictorum &  
 poenarum materia ad l. III. de R. J. Ipse Cujacius & cum  
 eo Merilius uni sententia firmiter non haerent, ut ex loe.  
 alleg. patet. Quapropter mihi in delictorum salem & pe-  
 narum materia maxime probabilis videtur opinio Corasii  
 l. 6. miscell. cap. 23. Goeddaei de contrah. stipul. c. 7. n. 204.  
 Roberti l. 2. recept. leet. 17. aliorumque existimantium, il-  
 lud ipsum arbitrio judicis relinquendum ac dijudicandum  
 esse arg. l. I. §. ult. de jur. deliber. qui illud non simpliciter  
 aut unice ex annorum numero estimabit, sed quam maxi-  
 me expendet capacitatem intellectus, seu perspicacitatem  
 in puberis, ejusque calliditatem & malitiam. Veteres enim  
 in pubertati ab infantia proximis distinguendis non tam a-  
 taus, quam intellectus & malitia meminerunt, & impube-  
 res, non infantes alios habere intellectum dixerunt, alios  
 non habere, item aut esse dolи ac delicti capaces, aut non  
 esse; unde etiam quos uno loco pubertati proximos, eos-  
 dem alibi dolи capaces vocarunt manifesto indicio, hoc po-  
 tissimum eos hac in re respxisse. v. l. III. de R. J. §. 10. J.  
 de inutil. stipul. l. 14. ad S. C. Silan. l. 13. §. 1. de dol. mal.  
 l. I. §. 15. depos. ideoque mirum non est, quod cum alii a-  
 tatis gradus fere sint determinati; tamen proximitas puber-  
 tati certis annis adstricta non sit: nam quia in delictis pra-  
 cipue queritur, an quis sit pubertati proximus nec ne, du-  
 rum imo periculoſa plenum alea fuisset, infra pubertatem  
 certum annum definire, ad quem qui pervenisset, dolи ac  
 delinquendi capax cenferetur, & per consequens puniri  
 posset, quum ramen impubes regulariter adhuc sit fraudis  
 incapax, nec fallere posse videatur. v. l. 26. pr. D. de Jure  
 Jus. Præterea unus altero præcior est, ita ut in hoc pue-  
 ro

ro ferius, in altero citius malitia xstate impuberem sup-  
plicat: quare merito Romani illud non definiverunt, quippe  
hoc omne ex uniuscujusque pueri ratiocinatione aliisque  
circumstantiis melius cognoscet ac dijudicabit catus & pru-  
dens judex. Atque hanc sententiam omnium verissimam  
tandem pronunciat Jac. Gothofredus ad l. III. de R. J. in  
quam & inclinare videtur Mattheus de Crimin. in Proleg.  
cap. 2. n. 2. eidemque calculum suum adjectit Averanius l.  
2. interpret. Jur. 14.

## II.

Hac distinctione exposta, non abs re erit ejus usum in  
contractibus & delictis impuberum paucis ostendisse.  
Quod ad contractus attinet; Paulus in l. 5. de R. J. genera-  
lem hanc quidem struit regulam, & definit, in negotiis  
contrahendis pupilli & fari possit, adeoque tam infantia  
quam pubertati proximi habilem esse personam, eumque  
omnia tutore auctore agere posse: quod latius explicit Ja-  
cobus Gothofredus in comm. ad d. l. 5. & Constantineus l. I.  
subtil. endat. cap. 24. Sed observandum est, regulam istam  
alio niti fundamento in persona Infantia, quam Pubertati  
proximorum: nam quod ad pubertati proximos; hi non  
tantum intelligunt quid loquantur, verum etiam, quid aga-  
tur, ira jam aliquem intellectum habere dicuntur, §. 10. J.  
de inut. stipul. & ejus xratibus esse, ut rei intellectum capere  
possint l. 14. ad S. C. Silan. & l. I. §. 3. de acquir. posse. ac per  
consequens juris ratio vult, ut tutoris tamen auctoritate &  
consilio suffulti contrahere atque omnia agere possint. At  
longe aliter comparatum est cum iis, qui infantiam de-  
mum egressi seu infantia adhuc proximi, qui quidem in-  
telligunt, qui loquantur; quare Paul. Aegineta praecepit,  
ut ab ea xstate pueri ac puellæ Grammatistis tradantur, l. I.  
xregi diuinis virtutib. cap. 14. atque ideo legata in disciplinam  
puerorum relinquebantur sub conditione, cum fari possent  
seu

seu infantiam excessissent, l. 217. de V. S. vid Merill. l. 6.  
 obser. 8. Cui simile apud Judeos institutum laudat Sam.  
 Petrus l. 2. obser. 1. Verumamen licet lingue, ut Cujacius  
 exprimit, gnari sint, rerum tamen adhuc ignari sunt; ideo-  
 que nondum dicuntur intelligere, quid agatur, l. 1. §. 13.  
 de O. & A. l. 6. rem pup. salv. for. & actum rei non intellige-  
 re l. 5. de R. J. imo Justinianus in §. 10. J. de inut. stipul. In-  
 fans, sir. & Infantia proximus non multum a furioso distant,  
 quia ejus etatis pupilli nullum habent intellectum & Paulus  
 in l. 9. de acquir. hered. de Infantia proximis dicit: Neque  
 enim scire neque decernere talis etas potest non magis quam  
 furiosus. Quibus principiis si firmiter inhareamus, & Itri-  
 quam disputandi rationem sequamur, dicendum esset, Infan-  
 tia proximos nequidem tutori auctore aliquid gerere posse:  
 namque in contrahentibus proprie non verborum tantum,  
 sed & rerum intelligentia exigenda videtur: sed Juriscon-  
 fulti propter utilitatem benigniore hie usi fuerunt inter-  
 pretatione & crediderunt, eum, qui loqui potest five infan-  
 tiam excessit & stipulari & lete obligare recte posse, l. 1. §. 13. de  
 O. & A. & l. 9. de acq. hered. arque ita favorabiliter iis prætite-  
 runt, ut in negotiis contrahendis idem juris habeant quod  
 pubertati proximi §. 10. inf. J. de inut. stipul. v. Cujacius  
 comm. ad l. 1. D. de verb. obligat. Ceterum recte Vinnius  
 monet, comparationem istam Justiniani & Pauli, qua Infan-  
 tia proximus infanti & furiolo assimilatur, cum mica salis  
 accipienda esse tract. de pact. cap. 14.

## III.

Magis adhuc proposita distinctionis utilitas illucescit  
 in disquisitione, an non pupillus absque tutoris auctoritate  
 contrahens naturaliter saltē obligetur; quæ quoq; ma-  
 ximos etiam juris nostri interpres exercuit propter diffi-  
 dentes in specie JCrorum sententias. Etenim obligatio-  
 nem naturalem in pupillo sine tutori contrahente diserte  
 D agno-

agnoscunt Ulpianus, Paulus, Maxianus, Papinianus & Pomponius in l. 1. §. fin. de novat. l. 21. ad L. Falcid. l. 64. ad S. C. Trebell. l. 25. §. 1. quand. dies legat. l. 25. §. 4. de solut. l. ult. in pr. de jurejur. aliisque: ut contrarium affirmant Neratius & Rufinus in l. 41. de condit. indeb. & l. 59. de O. & A. Hanc igitur pugnam ut conciliarent, varias vias ingressi fuerunt, utri videre licet apud Ant. Mattheum Fundam. Jur. Disp. 19. & Pantojam de Ajala in comm. ad l. fin. C. de aleat. Tom. 4. Thes. Jur. Rom. p. 1075. Cajacii opinionem distinguenter inter pupillum locupletiorum factum & non factum, quani ille ad l. 127. aliusque in locis proposuit, quamque perpetuam ejus sententiam fuisse contendit Osius Aurelius Dispunct. Merill. Disp. 20. præter alios eriam amplectuntur Forner. l. 1. rer. quot. cap. 19. Charondas l. 1. veris. c. 19. & Barelaijus ad tit. D. de Jurejur. Tom. 3. Thes. p. 963. Merillius autem dissidium Jctorum repetit ex diversitate scholarum, Sabinianorum nempe & Proculajanorum l. 7. obs. 4. & l. 1. variant. ex Cajac. cap. 20. & denique Constantinus cum Accursio distinguunt inter pupillum tutorem habentem, & non habentem, l. 2. subtil. enodat. cap. 30. Verum diversas istas interpretationem explicaciones excutere atque hanc questionem professa opera tractare, ratio instituti minime patitur: quapropter missis omnibus hisce, verior mihi videtur sententia Donelli, Vinnii, & Averanii l. 2. interpret. Jur. c. 14. modo paululum juvetur distinctione Grotii in Apend. Epist. 6. inter jus naturæ absolutum & hypotheticum, qua adhibita pro diverso considerandi modo pupillus sine tute contrahens dicti potest naturaliter obligari & non obligari. Igitur si hanc questionem secundum jus naturæ absolutum considemus, & seposita lege civili rationem simplicem sequamur, unica distinctio inter pupillos, qui intellectum rei, qua agitur, non habent, & qui habent, rem totam absolvit: illi enim iure, naturæ nullis obligationum vinculis obstringuntur;

tur; hi vero, qui intelligunt quod agitur, quales fere sunt illi, qui prope ad pubertatem accedunt, eo jure omnino obligantur. Atque hanc simplicitatem naturalem agnoscunt JCti, quando in tot locis supra allatis ex contractu pupilli fine tute ore initio naturalem obligationem nasci tradunt; quo sentu & Ulp. in l. 8. de acquir. hered. pupillus, ait, sine tutoris auctoritate obligari non potest more nostræ civitatis, aliud mero iure natura esse indicans; in quibus omnibus textibus non nisi de pubertati jam proximis, qui actum rei intelligunt, loqui censendi sunt JCti: cum enim passim dicant, infantia, proximos nonnisi ex juris benignitate contrahere posse, inde patet eos pro certo habuisse, eosdem absque illa benigna Prudentiam interpretatione nullo modo, nequidem naturaliter, posse obligari; adeoque fallitur Olius Aurelius de var. Cujac. interpret. disp. 20. quando ejusmodi distinctionem hac in questione ratione & auctoritate carere purat, quasi vero in delictis tantum eam usurparerint juris auctores, quem vel sola Institutiones in §. 10. de inut. stipul. refellunt. At si hæc quæstio examinetur secundum jus naturæ hypotheticum, tum dicendum est, pupillum etiam pubertati proximum sine tute contrahebent nequidem naturaliter obligari; licet enim revera ex tali actu oriatur naturalis obligatio, quæ si subducta persona pupilli consideretur respectu aliorum, omnes vires suas exserit. v. §. 3. J. quib. mod. toll. oblig. l. 1. §. 1. de novat. l. 127. de V.O. attamen quod ad personam pupilli attinet; jus civile contra ipsum promittentem seu pacientem non tantum non afficit, sed & ipsi facultatem se se obligandi penitus derraxit, adeo ut sine tute nihil posse scire intelligatur, l. ult. de jur. & fact. ignor. imo nec velle nec nolle credatur, nisi adposita tutoris auctoritate, l. 189. de R. F. ideoque stante hac dispositione civili illud ex hypothesi naturale est, ut pupillus pubertati proximus suo consensu absque tute se obligare nequeat: nam jus naturæ hypotheticum supponit idoneum

neum legis subjectum, atque illis demum promissis pactis-  
ve stari vult, quæ promitterendi jus quisque habuerit. Hoc  
iraque sensu recte dixerunt Neratus ac Rufinus, pupillum  
sine tutoris auctoritate promittentem aut contrahentem  
nec natura debere, nequidem jure naturali obligari in d. l.  
41. de condic. indeb. & d. l. 59. de O. & A. vid. Celeb. Otto  
ad Pufendorf. de offic. hom. l. 1. c. 9. §. II.

## IV.

Nunc de delictis Impuberum, qui infantiam egressi sunt,  
sequitur, ut breviter dispiciamus, qua in re sepius memorata  
distinctio inter infantia & pubertati proximos maximam  
fiuam utilitatem & usum ostendat. Infantia igitur proximi  
(ut de illis prius dicam) in hac materia nullo discrimine ha-  
bentur cum infantibus: sunt enim doli ac delinquendi ad-  
huc incapaces, neque ejus artatis, quæ satis apta sit ad con-  
siderandas causas ad delictum impellentes aut ab eo abfra-  
hentes, quod tamen in delictis ac poenis infligendis spe-  
stari debere docet Grotius, l. 2. cap. 20. §. 31. quapropter si  
quid admittant quod speciem habeat aliquis delicti, inno-  
centia consilii ipsos tuebitur, & excusat eos artas, pro-  
pter quam liciti & illiciti discrimina minus habent cognitio,  
ut Seneca de ira l. 2. cap. 9 & l. 3. cap. 24. Eleganter Upi-  
anus in l. 3. §. 1. de sepul. viol. hos doli nondum capaces ad-  
modum impuberes vocat, ut eos distinguat ab iis, qui jam  
prope ad puberatatem accedunt; similiiter cum se admodum  
impuberem Demosthenes dixisset, recte eo dixisse adnota-  
vit Ulpianus, ut intelligeretur non fuisse doli capacem, ut  
refert Cujacius, l. 6. obser. 22. Male iraque Græci illi, quo-  
rum loca atrulit Fabrotus in exercit. 9. infantiam seu sepr-  
imum annum egressos jam delinquendi capaces & puniri  
posse statuunt Rectius Leo infantia proximos (quales ex e-  
jus sententia sunt minores duodecim annis) tanquam doli  
adhuc incapaces, poenæ eximit in Epit. leg. tit. ult. n. 21. ubi  
de

de his, qui cum masculis nefandam libidinem exerceant,  
*finis, qui patiuntur, inquit, minor duodecim annis inventus*  
*fuerit, sine fraude esto, quia etas argumento sit, nescire e-*  
*um, quid patiatur.* Cui congruit Lex Salica tit. 26. si quis  
*puer infra duodecim annos aliquam culpam commiserit, fre-*  
*dus ei non requiratur: ubi fredus est mulcta seu compolitio,*  
*qua filio exfoluta reus pacem a Principe consequitur. Vid.*  
*Du Fresne Glosar. in voc. Fredus. Ex dictis liquido patet,*  
*durum valde & iniquum illud fuisse judicium, quo puer,*  
*qui susulerat surenum folium, quod ex corona Diana deci-*  
*derat, sacrilegii nomine damnatus & occisus est apud Ae-*  
*lianum l. 5. var. bish. cap. 16. cui simile est aliud, quod nar-*  
*rat Pausanias l. 8. cap. 23. puerorum nempe lapidibus obru-*  
*torum, eo quod circa templum Diana ludentes signum i-*  
*stius Deæ funiculo collo alligato per lusum traxerant. Qui-*  
*bis & annumerari meretur judicium illud Areopagiticum,*  
*cujus meminit Quintil. l. 5. insit. orat. cap. 9. pueri tcili-*  
*cet ultimo supplicio affecti, propterea quod cornicula*  
*oculos erueret; fructu enim judices istos excusat Quinti-*  
*lianus hoc pretextu, quasi id signum fuerit perniciossissime*  
*mentis, multisque malo futuræ, si adolevisset. Atque hoc*  
*exemplo dicimus, non tantam fuisse judicium illorum*  
*Areopagitorum sapientiam ac prudentiam, quam quidem*  
*vulgo creditur. v. Cl. Otto ad Pufend. de offic. l. I. c. I. §. 25.*

## V.

Aliud juris est in Pubertati proximis: hi quippe doli  
 & delinquendi jam sunt. Capaces v. l. 13. §. 1. de dol. mal.  
 l. 4. §. 26. de dol. mal. & met. except. §. 18. l. de oblig. ex  
 delict. & l. III. de R. J. At quos pertinet locus Apuleji in  
 Apolog. cap. 2. ubi in hujusmodi pueros ira declamat: Sed  
 enim malitia præcox puerum quis non oversetur atque odi-  
 rit? cum videat velut monstrum quoddam, prius robustum  
 scelerem quam tempore, ante nocentem quam potentem, viridi-

D 3

pue-

pueritia, cana malitia? vel porius hoc magis noxiū, quod  
 cum venia perniciōsus est, & nondum pœnæ, jam injuriæ suffi-  
 cīt. Qaumvis ergo generaliter aliquando scriptum sit,  
 impuberem non incidere in crimen, nec dolum malum in  
 eam axatēm cadere, l. 23. §. 2. de ædil. edit. & l. 22. ad L.  
 Corn. de fals. non tamen est ea sententia ita accipienda,  
 quasi nullus impubes delinquare possit, verum secundum  
 regulas bona interpretationis restringenda ad eos, qui a  
 pubertate sunt remoti & doli nondum capaces, quod facit  
 Ulp. qui id restringit ad admodum impuberem in l. 3. §. 1. de  
 sep. viol. & jubent alii textus, qui accuratius loquuntur, &  
 distinguunt, fuerint impubes doli capax, nec ne, l. 1. §. 6.  
 ne vis fiat ei qui in posseſſ. l. 2. §. 19. de vi bon. rapt. l. 3. §.  
 1. de injur. junct. l. 23. de furti. l. 3. §. 2. de tribut. act. l. 1.  
 §. 15. depos. Impuberem igitur doli capaces sunt puberat  
 proximi, seu qui probe ad pubertatem accedunt, qui adeo  
 delinquare possunt, & ad poenam ex delictis obligantur, l.  
 5. §. 2. ad l. Aquil. l. 23. de furt. d. l. III. & d. §. 18. Tales  
 videntur fuisse pueri illi, qui dignitus punti leguntur, pro-  
 pterea quod Eliae Propheta ob calvitem contumeliose ac-  
 clamarent, 2. Reg. 2. vs. 23. & 24. eo enim animum injuri-  
 andi satis ostendebant, quia crinibus orbatum esse ignomi-  
 niosum habebatur; qua de re v. Cl. Otto Juriſpr. Symbol.  
 exercit. 2. cap. 4. Certe non nisi de Pubertari proximis  
 intelligenda est Lex XII. Tabularum, quæ furem impube-  
 rem Pratoris arbitrau verberari jubebat, si in furto effe-  
 deprehensus. v. Gellius l. II. cap. 18. unde mirum est, que-  
 situm fuisse inter JCTos, an impubes rem alienam amoven-  
 do furtum faciat secundum §. 18. f. de oblig. ex del. nisi for-  
 te dicendum sit, quia Lex decemviralis simpliciter & inde-  
 finire de impubere loquebatur, hinc quæsitum fuisse, cuius  
 ætatis impubes hic esset intelligendus, & placuisse, hoc ad  
 puberat proximum esse restringendum, uti multa alia in  
 XII. Tab. interpretatione Prudentum fuere coangustata, v.  
 l. 120.

*I. 120. de V. S. quod convenit verbis d. s. 18.* Etsi autem dolus malus in pubertati proximos cadere posse, atque ideo dolii capaces dicantur in legibus principio hujus §. alleg. hac tamen non est primum juris & de jure, ideoque index (quam sententiam supra vidimus esse veriorem) hoc præterea ex ratiocinatione ex aliis improbe dictis & factis prudenter dijudicabit: quam tamen prudentiam cum Ant. Matthæo de Crim. in Proleg. cap. 2. n. 2. defideramus in illis judicibus, qui (reuera est ea historia seu fabularis) puer delato, quod per ludum lanionem simulans collusorem mactaverat, ut captum xatas explorarent, altera manu ponum, altera nummum aureum obtulerunt, eo fine, ut si nummum oprasset, dolii capax haberetur. Etenim quam facile est, ut puer fulgentem nummum aliudve tale quid rebus ipsi non insolitus, quibus quotidie ludit & deleatur, anteponat, quam nulla certa ratione, sed temere obiectis rebus capi soleant. Ita accidit in puer illo, qui auream laminam e corona Diana delapsam sustulerat, quem calum in §. præced. ex Aeliano attuli: nempe, ut reserf ille, judices huic puer crepundia talos & candem laminam proposuerunt; ille laminam sibi sumvit, & idcirco tanquam sacrilegus punitus est. Quo tamen ipso videatur puer ille probabile innocentiam ac simplicitatem suam, & animum fraudis atque simulationis adhuc incapacem; nam si dolii fuisset capax, vidiffer, quo haec omnia tendereant, atque ita crepundia potius elegisset.

## VI.

Ut vero Pubertati proximi ex delicto poenam sustineant, delictum tale esse debet, quod jus commune seu naturale violentia, non merum civile aut positivum. Eaque mihi ratio videatur, cur domus impuberis, in quo falla moneta fuit culpa, fieri non vindicetur, quamvis ejus rei conscius fuerit: nam xatas haec ignorat illud, quod videt fieri, crimen esse legibus tam

tam severe prohibitum, ideoque ejus incuria vel negligentia,  
 quod facinus illud non prodiderit, puniri non potest. v. l. i. c.  
*de fals. mon.* Non itaque cum Martha *d. cap. 2. n. 3.* in hac  
 specie distinguendum puto, fueritne impubes dolii capax,  
 nec ne. Quod autem Vinnius in comm. *ad §. penult. f. de*  
*oblig. ex del.* cum aliis existimat, Impuberem quantumvis  
 pubertati proximum non teneri legibus, quæ adulteria aut  
 stupra, altave carnis delicta puniunt; illud infirmo admis-  
 dum nititur talo: neque enim hoc vult Papinianus in *l. 30.*  
*§ 38. 4. ad L. Jul. de adult.* sed hæc ejus est mens, quod  
 regulariter adulterium non cadat in impuberem, quia scilicet  
 naturaliter adulterium est inhabilis; non tam  
 intercedit, quominus puer forte jam proxime ad pu-  
 bertatem accedens (quem certum est hoc crimen commi-  
 sisse, quique adeo eti confuetos pubertatis annos nondum  
 attigerit, revera tamen factus est pubes seu ad coitum ha-  
 bilis) hujus criminis ut aliorum reus fiat, ac propterea pu-  
 niri possit: quale exemplum in puella duodecim annis ini-  
 Venerem vigore præditorum refert Corasius *l. 6. miscell.*  
*cap. 23.* verum quia hi casus rarissime eveniunt, eos pra-  
 riit Jctus. v. l. 6. de legib. Atque huc etiam inclinant Mat-  
 thæus *d. cap. n. 4.* & Fer. Adduenis *l. 1. explicat. Tom. 2.*  
*Theb. Jur. Rom. p. 552.* qui statuit, puerum, cum quo alius  
 nefandam libidinem exercuit, pumendum quoque esse, si  
 eo tempore fuerit pubertati proximus & dolii capax, ita ut  
 sciverit atrocitatem istius facinoris; in qua sententia etiam  
 videatur esse Leo in *Epit. leg. supra alleg.* Illud generaliter te-  
 nendum, Pubertati proximum quamvis grave crimen ad-  
 miserit, poena tamen capitali plectendum non esse, sed mi-  
 seratione atatis mitius puniri debere, ut emendetur, & de-  
 dicit in posterum simile quid perpetrare. Pulchre Quir-  
 tilianus *l. 4. insit. orat. cap. 1.* Multum, inquit, agit sexus,  
 etas, conditio, in fæminis, sénibus, pupillis, liberis, paren-  
 tes,

tes, conjuges allegantibus: nam sola rectum quoque judicem  
 inclinat miseratio. Sane jam olim apud Romanos nefas vi-  
 sum fuit, in impubere adhuc etate constitutos vel etiam  
 paulo maiores ultimo suppicio affici, ut animadvertisit Li-  
 psius ad Tacit. l. 5. annal. 9. & probat Dion Cassius l. 47. ubi  
 de Triumviris scribit: *Inter multa alia contra legum pre-  
 scripta acta puerum etiam quendam togam sumere virilem  
 sufferunt, ut quasi vir jam esset, interfici ab ipsis posset.* Lo-  
 cus autem iste Taciti, quem etiam hic trahit Lipsius, forte  
 simplicius ita accipi potest; ideo inauditum ac nefas habi-  
 tum fuisse virginem stranguli seu laqueo interimi (quod  
 etiam tradit Suet. in Tiber. 61.) quia apud Veteres quoque  
 impura maxime haberetur mors laquei. Virgil. l. 12. æneid.  
 V. 603. eam vocat *informe lethum*, & Servius ibidem *mor-  
 tem infamissimam*. v. Forner. l. 3. select. 10. Melius igitur il-  
 lud mihi firmari posse videatur ex ipsa Lege XII. Tabb. cu-  
 jus memini Plinius l. 18. hisl. natur. cap. 3. ubi Decemviri  
 distinguunt inter puberem & impuberem, & illum pena  
 capitali, hunc vero alteri puniri volunt. Hæ sunt Plinii  
 verba: *Frugem aratro quæstam furtim noctu pavisse, ac se-  
 cuisse puberi XII. Tabulis capitale erat, suspensumque Cereri  
 necari jubebant gravius quam in homicidio convictum, im-  
 pubem Praetoris arbitratu verberari noxamque duplione de-  
 cerni.* Quam XII. Tabularum æquitatem postea etiam reten-  
 tam fuisse, non obscure colligi posse videtur ex eo, quod etiam  
 in servis, qui alias gravius puniuntur quam liberi, l. 16. §.  
 3. l. 28. §. ult. de pen. v. Forner. l. 4. rer. quotid. 2. imo in SCro  
 Silaniano, in quo alias tam multa singularia propter pu-  
 blicam utilitatem (Tacit. l. 4. annal. 42.) constituta sunt, idem  
 fuerit servatum: nam cum domino occiso de omnibus ser-  
 vis, qui sub eodem testo fuerant, supplicium sumeretur,  
 etas tamen impubes excusationem merebatur, l. 1. §. 32. de  
 SC. Silan. Deinde tenella hæc etas Impuberis etiam ad-  
 verlus asperitatem quæstionis tuerit, ita ut terreri duntaxat  
 possint,

possint, & habena vel ferula cadi, d. l. 1. §. 33. l. 10. & l. 15.  
 §. 1. de quest. neque enim has leges ad admidum impubes  
 res refringendas esse contra Cujecium solide ostendit Ma-  
 thaus de Crimin. ad tit. de Question. cap. 2. n. 9. Ceterum  
 Pubertati proximis penam capitalem quoque remisit Ca-  
 rolus V. in Const. Crim. art. 104. Aliquando tamen pro-  
 pter inormem malitiam ad ultimum supplicium perveniri  
 potest, arg. l. 14. ad SC. Silan. idque prejudiciis quibusdam  
 firmarunt Jac. Gothofredus ad l. III. de R. J. & Cl. Otto  
 ad Puffend. de off. hom. & civ. l. 2. cap. 13. §. 18.

## VII.

Quamvis autem Pubertati proximi plerumque jam sint  
 doli capaces, & intelligent id quod agitur, infirmum tamen  
 eorum est judicium, l. ult. de manum. vind. noncum ple-  
 num animi judicium habent. Ulp. tit. 20. §. 12. stabilem  
 nondum mentem sunt adepti, l. ult. C. de refl. milit. neque  
 exacti consilii sunt capaces. Paul. l. 4. Recept. sent. tit. 12.  
 §. 7. l. 8. §. 1. de acquir. hered. Quapropter omnibus illis  
 actibus abstinere debent, qui non solum intellectum alle-  
 quem, sed stabilis & constantis judicij maturitatem requi-  
 runt. Igitur impuberes neque judices esse, l. 12. §. 2. de ju-  
 dic. neque magistratum gerere, et si idoneorum civium sit  
 penuria, l. 2. §. 1. de jur. immun. imo nec civilibus officiis  
 fungi possunt, l. 2. §. 1. de R. J. nam & hæc modum pu-  
 pillaris ætatis excedunt; quare hoc quoque sensu virilia  
 hæc officia dicuntur, l. 1. §. 5. de postul. & l. 18. C. de pro-  
 curat. vid. Jac. Gothofr. comm. ad d. l. 2. de R. J. Quoad  
 tales actus impubes, etiam si pubertati proximus, nullum  
 judicium habere dicitur, quia ejusmodi judicium non ha-  
 bet, cuiusmodi in talibus requiritur. v. d. l. 12. §. 2. de judic.  
 & §. 1. J. quib. non est perm. fac. test. Propter eandem quo-  
 que judicij infirmitatem omnes liberorum actiones in hac  
 ætate parentum directioni naturaliter subesse docet Grotius,

l. 2. c. 5. §. 2. hinc etiam si parentibus orbati sint impuberes,  
naturali juri conveniens esse dicit Justinianus, ut alterius tu-  
tela regantur, §. pen. *J. de Attil. tui.* sunt enim tales prae-  
cipe multis injuriis ac vexationibus exposti, quia imbecilla  
hac arta se ipsam defendere ac tueri nequit. Salvianus l. 5.  
*de Gubern. Dei.* *Quis locus est, inquit, ubi non a Principibus*  
*civitatum viduarum & pupillorum vixera devorentur?* Un-  
de Sacra Litera tam singularem pupillorum curam gerunt,  
corumque tuitionem tam serio ac multories commendant,  
opressoribus autem extrema quavis minantur, imprimis  
*Exod. 22. v. 22.* *Viduae ac pupillo non nocebitis.* Si aliquomo-  
do eos lasceritis, itaque vociferentur ad me, ego clamorem e-  
orum certissime exaudiam. Tum accendetur ira mea, percu-  
tiamque vos gladio, & erunt uxores vestrae viduae, & liberi  
vestri pupilli. Hinc & Romani legislatores tantopere pro  
pupillis vigilarunt, & tam multa singularia in eorum favo-  
rem constituerunt, idque merito ad curam publicam per-  
tinere rati sunt; l. 2. §. 2. qui pet. tat. Insigne inter alia est pri-  
vilegium illud, seu potius jus singulare, quod Constantinus  
Magnus, pupillorum & minorum patronus ac fautor sum-  
mus (uti ex variis ejus Constitutionibus collatis ostendit Ja-  
cobus Gothofredus ad l. 1. C. *Theod. de tut. & curat. creand.*  
introduxit in l. unic. C. quand. Imp. *inter pupill. vel vid. ubi*  
pupillis, pariter ac viduis, aliisque forense injuria misera-  
bilibus personis forum tribuit privilegium. Nam si forte  
adversarii sui, qui ratione dignitatis, opibus, vel alia ratione  
ipis est formidabilis, potentiam perhorrescant, licet ipsi  
eundem, vi hujus privilegii, e foro competenti & ab or-  
dinario judice evocare ad ipsum Principis Consistorium &  
examen, ad causam videlicet coram ipso Principe discep-  
tandam, ubi nec violentiae locus datur, nec avaricie virtus  
formidantur, ubi & innocentia persiguum, & calumniato-  
res jus possunt invenire distinctum, ut eleganter ait Theo-  
doricus Rex apud Cassiodorum l. 4. var. form. 9. Qui &

E 2

non



non minus pulchre l. i. var. 8. ita insit: Sic! *equitatis libra servabitur, si auxilium largiamur imparibus, & metum nos- sibi, pro parvulis, insolentibus opponamus;* Fortuna minor Principem querit. Eadem ratione pupilli & viduae olim in Gallia adversarios suos ad Curiam Christianitatis, ut vocabant, id est, ad curiam ecclesiasticam evocare poterant, test Jac. Gothofredo in *comm. ad l. 2. C. Th. de offic. omn. judic.*

### CAP VT III. DE PVBERTATE ET ÆTATE PRÆTEXTATA.

#### §. I.

**I**mpuberem ætatem hactenus explicatam excipit Pubertas, quæ & vocatur ætas pubes, adulta, minor viginti quinque annis. Eaque est, quæ totam pueritiam ambitu suo adstringit, ut Seneca loquitur epist. 12. Atque hujus ætatis homines sive ætatis fieri, in suam tutelam venire dicuntur, & in libris nostris generali nomine adolescentes appellantur, quandoque & auctulti. vid. Brissonius de V. S. Et hac in re JCui nostri auctoris scriptoribus sunt accuratiores, qui nominibus ætatis puer, adolescentis, juvenis, & similibus saepè indiscretè utuntur de quo v. Cl. Praceptor meus Dukerus ad Florum l. 2. cap. 6. Dicitur autem pubertas a pube seu prima lanugine, quæ circa necessarias corporis partes, ut loquuntur Jurisconsulti, puberem vestit, unde & vestis vocatur apud Lucretium l. 5. v. 672. & puberes vesticipes audiunt Aulonio Edyll. 4. v. 73. Gellio l. 5. cap. 19. quamvis vestis etiam denotet barbam, & imberbes dicuntur investes auctore Servio ad Virgil. l. 8. eneid. v. 659. v. Fornerius l. 1. Select. 29. & Scipio Genitius Orig. ad Pand. Tom. 4. Theb. Jur. Rom. p. 1365. Ex qua vocis significacione simul discimus, quæ sit propria & naturalis Pubertas. Nempe tum proprie adolescentes puerescere,

bescere, seu puberes fieri intelliguntur, cum his prima illa lanugo, quam pubem vocamus, incipit enasci circa illas partes corporis, quas ad naturae necessitatem datas, quia asperitas efficiunt deformem habitus ac turpem, natura contexit atque abdidit, ut Cicero ait, *l. 1. de offic. cap. 35.* Atque ex eo quoque Græcos Pubertatem estimasse ex Aristophane aliisque docet Petitus *ad Leg. Attic. l. 2. tit. 4. p. 150.* Stoicis vero cum Hippocrate septimum quemque annum ætati signum imprimere contendentes, pubertatem pariter ac infantiam ex annis colligi voluerunt, eamque idcirco ex duabus annorum hebdomadis æstimarunt. Plutarch. *l. 5. de placit. Philos. cap. 24.* Eandem doctrinam Solon in legibus suis etiam probaverat, & pubertatem anno decimo quarto definiverat, ut refert Philo Judæus *de opif. mundi v. Merillius l. 8. observat. cap. 29.*

## II.

Quod ad Romanos attinet; Decemviri in XII. Tabulis hac in re nihil definiverant. Cum igitur incertum esset, quo argumento censenda esset pubertas, Jcti quandam fori disputationem ea super re instituisse videntur hunc in finem, ut lentalitia, quæ pluribus placeret, reciperetur. v. *l. 2. S. 5.* de O. J. Rævardus *de auctor. Prudent. cap. 14.* & Celeb. Praceptor meus van Eck, *ad tit. de orig. Jur. th. 42. & seq.* Verum scieuti maxima est hominum ad dissentendum facilitas, ita hic quoque Cassiani, naturam fecuti, eum pubrem esse dicebant, qui habitu corporis pubes appareret, nec ad annorum numerum respici oportere existimabant, quia alii citius, alii ferius pubescunt. At Proculejani cum Hippocrate & Stoicis eum puberem haberi volebant, qui quatuordecim annos implevisse, atque ita pubertatem ex annis definire malebant, ne in singulis individuis semper fluctuaretur. v. Ulpian. *fragm. tit. II. S. ult.* Horum sententiam refert Festus in *voc. pubes:* ubi pubes, ait, *incipit esse a qua-*

a quatuordecim annis, ut quidam putant. Priscus autem Javolenus utramque sententiam, conciliare studens eum puberem pronunciabat, in quem utrumque concurrit & habitus corporis, & numerus annorum. Ulp. d. l. cuius opinionis meminit Servius ad Virgil. Eclog. 8. v. 39. S. 40. nam ad illa,

Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus,  
Jam fragiles poteram a terra contingere ramos.

post alia ita notat: Bene cum annis jungit habitum corporis; nam & in jure pubertas ex utroque colligitur. Similiter apud Judaeos Pubertas ex habitu corporis aequa ac ex annis aestimabatur: nam tradit Maimonides Sanhedrin. c. 8. §. 1. masculos, quibus anno decimo tertio & die unico pli bini pubis non excrevissent, impuberes fuisse. v. & Selenus de success. ad leg. Ebr. c. 9. Sed fortassis melior erciseundus fuisset Priscus, & dissidentes Cassianos & Proculajanos feliciter conciliasset, si, quod res est, dixisset, Cassianos re. Et sensisse, si queratur de nuptiis contrahendis, utpote in quibus non sufficiunt pubertas civilis, sed qui eas contraherere vult, naturaliter pubes esse debet: veram autem esse Proculajanorum sententiam in aliis questionibus pubertatis; nam cui bono habitum corporis respexisse in finienda tutela, in condendo testamento, & reliquis, quæ virtute mœscula non peraguntur? quapropter etiam valde dubito an verum sit, secundo Decenvirali adolescentes tutela exiisse per inspectionem corporis, uti putat Marcius interpretaram. Leg. xii. Tab. cap. 28. Sane ut Casianorum sententia absurditate careat, nec deridiculo exponstur, illa omnino, ita uti dixi, est restringenda, eamque ita exponit Ampliss. Bynkershoek, l. 3. observat. cap. 24. nam & Plato l. xi. de legib. qui pariter puberatem ex habitu corporis aestimari solebat, quemque Cassiani ea in re securi sunt, tantum de nuptiis loquitur. Atque huic explicationi mores Romanorum

rum, Jctorum a<sup>o</sup> consentanei fuisse videntur: nam mul-  
 ta in Pandectis occurrent leges, ubi agitur de testamenti  
 factione similiive negotio mere civili, in quibus pubertas  
 quatuordecim annis definitur; veluti l. 5. qui test. fac. poss.  
 l. 2. pr. & l. 15. de vulg. & pupill. subflit. l. 11. pr. quod fals.  
 tut. l. 3. de censib. quin imo Paulus in Receptis sententiis,  
 quod notandum, l. 3. tit. 4. §. 1. diserte Testamentum, in-  
 quis, facere posunt masculi post compleatum decimum quar-  
 tum annum &c. Macrobius quoque in Somn. Scip. l. 1. cap. 6.  
 tutelam post bis Septem annos in pueris absolvit scribit. & Ter-  
 nullianus de vel. virg. cap. 11. Ethnici, ait, masculos a quatuor-  
 decim annis ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non in  
 Sponsalibus aut nuptiis decernentes, & de anima cap. 38. ju-  
 ra civilia, inquit, ab anno decimo quarto agendis rebus at-  
 temperant. Ut adeo in talibus Proculejanorum sententia  
 recepta fuisse videatur. At vero in materia nupciali nulli-  
 bi in Digestis puber as masculorum certis annis determina-  
 tur, unde non improbabiliter colligi potest, obtinuisse ea in  
 re magis Casianorum sententiam, quamvis ejus vestigia in  
 iure nostro non extent, quia Justinianus ea omnia aboliri  
 voluit. Cum enim videret Imperator, populum propter  
 disidentes istas veterum sententias non habere, quid hac  
 in re in omnibus negotiis ut certi & explorati juris seque-  
 retur, quod boni Principis est, emissâ constitutione diver-  
 sitatem hanc sustulit, & probans Proculejanorum senten-  
 tiā, masculos decimo quarto aetatis anno in omnibus ju-  
 ris articulis puberes haberi voluit, l. ult. C. quand. ius. vel  
 cur. effe def. Quod si ita juris progressus distinguiamus, ni-  
 hil cautele erit, cur aut cum Cujacio l. 22. obser. 20. Ant Augustino l. 8. emendat. cap. 5. aliisque tot leges Pandecta-  
 rum, in quibus pubertas masculorum quatuordecim annis  
 definitur, a Triboniano interpolatas dicamus, id quod Pau-  
 lus in Recept. Sent. & Tertullianus quoque ac Macrobius  
 ad. II. vetant; aut, cum quibusdam vitio creatis censoribus,

Imperatorem nostrum juris religiosissimum culpemus ac  
proscindamus tanquam legum ferendarum affectatorem  
magis quam prudentem, qui definitionem pubertatis ma-  
scularum sibi arrogaverit, quæ certa fuerit dudum. Enim-  
vero ut multa alia in jure nostro, quæ venerant ex inter-  
pretatione Prudentum & moribus constabant, valde fluxa  
& incerta erant, donec Justinianus ea certius definivit, ita  
in hac quoque materia comparatum fuit. Licet enim quo-  
dammodo obtainuerat, & verius videretur in testamento  
faciendo simili negorio annum decimum quartum suffi-  
cere, l. 5. qui test. poss. illud tamen nondum extra dubita-  
tionis aleam positum erat: nam alias nulla fuisset ratio ea  
de re dubitandi, atque Imperatores consulendi in l. 4. C.  
eod. nec JCetus diem puberratis incertam vocasset in l. 21.  
quand. dies leg. ced. neque etiam Quintilianus l. 4. insit.  
orat. 2. non constare dixisset, annis *a habitu* estimanda sit  
pubertas. add. Merill. l. 5. obser. 16. & Amaja l. 3. ob/.  
Præterea eti concedamus, in negotiis mere civilibus pu-  
bertatem ex annis *a estimari* solitam, & de eo nullum du-  
bium superfuisse, propter Paul. Tertull. & Macrobi. loca-  
supra allata, nondum tamen frustanea erit Justiniani legis-  
latio: nam sufficit probari non posse, quod in omnibus  
promiscue negotiis, & nominatim in nuptiis contrahendis  
Veteres pubertatem masculorum præcise ex annis college-  
rint, adeo ut omnino aliquid novi constituerit Imperator;  
nec enim sibi tribuit, quod puberratis annos primius defin-  
verit, sed tantummodo abrogat Casianorum sententiam, &  
in omnibus negotiis pubertatem ex annis *a estimari* vult, d.  
l. ult. C. vid. Ulr. Huber. l. 3. Digress. cap. 14. & Celeb. Or.  
eo in comm. ad pr. J. quib. mod. tut. fin.

## III.

Necdum tamen res Justiniani seu Tribonianii sunt scie-  
curæ; aliam enim adhuc censuram in ipsum stringit Ravar-  
dus

dus l. 4. Varior. cap. 10. eumque secuti Bachovius & Vinius ad pr. J. quib. mod. tut. fin. propterera quod sit Veteres pubertatem masculorum ex inspectione nudi corporis estimatis, id quod non tantum in dubium vocant, sed aperre saltum pronunciant, & Tribonianum manifesti erroris arguunt; quasi vero Cassianos perperam intellexerit, qui cum pubertatem ex habitu corporis colligendam censuerunt, minime de inhonestia quadam inspectione, sed de externa corporis dispositione ac forma fuerint locuti: namque habitum seu habitudinem universam corporis dispositionem significare, uti auctoritate Ciceronis, Livii, Tencentii, ac Plauti probare nituntur, nullum praeterea Veterum tam impudici moris meminisse; castiores denique ac verecundiores fuisse Romanos, quam ut turpem tales pubertatis indagationem in Rep. sua tolerassent. Alii vero interpres censuram hanc a Triboniano amoliuntur, eique in enarranda hac Veteris juris historia omnino credendum esse autument (quos inter Cl. Huber. l. 3. Digress. 14. Ampliss. Bynkershoek l. 3. obf. 24. Celeb. Otto in comm. ad pr. j. d. curat. (1.) Quia nulla est ratio, cur fidem deeneamus ei, qui inregra Jctorum scripta legit, nec ullam causam habere potuit, cur nobis ita imponeret, fingerer quo Romanis in usu fuisse, quod nunquam illis in mentem venerat. (2.) Naturae rei conveniens est, si incertum esset, an quis naturaliter sit pubes, ut eundum fuerit in rem praesentem, & nudanda corporis partes, ubi signa pubertatis emergere solent. (3.) Quis credit Veteres illos tam fuisse imperitos & rerum humanarum, imprudentes, ut ex vultu conjectarent facultatem virilem? fuerunt illi prudentes juris, non artis physiognomicae. (4.) Inspectio illa Romanis non magis inhonesta fuit, quam Hebraeis, Phoenicibus ac Gracis, a quibus morem illum *deinceps* velut per manus traditum Romanam venisse Grotius ait in flor. spars. ad pr. J. quib. mod. tut fin. (5.) Maxime cum ea non promiscue in quaestioni.

F

stioni.

stionibus pubertatis fuerit adhibita, verum duntaxat in controversiis conjugalibus, nec nisi in re dubia, quoties alium a cœla exitum non inveniebat. (6.) Non tuit impurior inspectio pubertatis masculæ apud judices, quam est inspectio ventris apud mulieres, de qua Prætor edictum proponit in l. 1. de ventre inspic. (7.) Et certe aliis in casibus quoque mares apud Romanos inspecti fuerunt. v. Forner. l. 2. rer. quod. 26. & Mensag. amoen. Jur. civ. 40. Denique hanc lenientiam firmat Quintil. declam. 279. Postea nudari filium, atque in conspectu judicium constitui coegerit, atque interrogaret, an ille maritus esset, qui fieri pater non posset. & Augustin. l. 2. confess. ubi me pater vidit in balneis pubescentem, & inquieta adolescentia induitum, quasi jam ex hoc in nepotes gestiret, gaudens matri indicavit. Hæ sunt fere utriusque sententia rationes, quas simpliciter proposuisse sufficiat; nam meum non est inter tantos viros suffragium ferre. Id tantum dicam, eam explicationem, qua Triboniani decus ac dignitatem tuetur, & sarcina teatam custodit, semper esse favorabilem, ac merito presumi veriorem; eam contra, quæ ipsi molesta & injuria est, odio dignam. Quare & Constantinus l. 2. subril. enod. cap. 9. & 12. audaciam Ravardi in Triboniano nostro variis in locis & nominatim in prælenti questione reprehendendo & erroris insinuando acriter repressit, hoc de eo ferens judicium: Desipit profecto multis in locis Ravardus, eti vir magna lectionis, maxime ubi genuinum sensum non valet legum assequi, aut mentem Prudentium Imperatorumque purissimam capere: iis enim tunc nimis audacter imponit, aut ipsorum verba suam in sententiam distorquet ac flagellat, vel denique in Tripontianum invehitur, quando nulle decidendi rationes ipsi suppetunt aut via conciliandi. Simile de ipso est judicium Febril. 3. se mestr. cap. 6. Melior itaque nec tam odiosa est sententia Brouweri de Jure Connub. l. 2. cap. 3. n. 13. & 14. qui licet hactenus cum Ravardo faciat, quod putet Veteres, qui ex ha-

habitu corporis puberitatem aestimari volebant, nonnisi de externa corporis dispositione locutos fuisse, interim tamen dignitatem Tribonianii comiter conservat: nam sibi persuaderi non possit, tantè inscitæ vel malitiaæ fuisse Tribonianum hominem in J. Ctorum scriptis versatum, ut sententiam a mente Veterum alienam ipsis affingere voluerit, vel potuerit; verum potius deliberandum censer, an non benigna interpretatione facta dici possit, eum respexisse dishonestam confuetudinem suo seculo ingruenteam, quam quidam homines placitis Veterum forte tuebantur, eamque illum inhibuisse, & quasi in ipso ortu refecasse. Nam si tale quid non fuerit factum suo tempore in Rep. quare dixisset Justin. in d. l. ult. C. quand. tut. vel cur. esse def. se indecoram observationem resarcire, & indagationem in honestam cesseare debere. Atque haec sane explicatio non spernenda videtur. Certe nunquam fere conduntur leges, quibus virtus quadam prohibentur, nisi ea jam sepius commissa fuerint in Rep. & leges egregias ex delictis aliorum digni scribit Tacitus l. 15. annal. 20. Adeoque fortasse huic constitutioni occasionem dederunt perditæ mores Romanorum seu Graecorum in pueros lubentius quam in virgines lascivientium, quorum nequitiam idem Justinianus poenis acerrimis supprimere debuit, Nov. 77. 131. & 141. juncto Fabro l. 3. semeſtr. c. 19.

## IV.

Hæc de pubertate masculorum. Ad foeminas quod attinget, harum etiam pubertas pariter ac marium alia est naturalis, alia civilis. Nam si in foeminae quoque naturam sequatur, illa proprie dicenda esset pubes seu viripotens, quam habitus corporis virum pati posse ostendit; ad quod tam explorandum necesse non est, foeminam nudam inspecti, cum ea de re, ut observat Ampl. Bynkersh. in laud. obser. 24. facilius & tutius constare possit videlicet ex observatione mensum. Quo etiam modo apud Hebraeos pu-

bertatem seu viripotentiam foeminarum & stimatam fuisse au-  
 tor est Tertullianus *de vel. virg. c. II.* ubi ait penes Israël illici-  
 tum esse ad virum tradere nisi post contestatam sanguine matu-  
 ritatem. Atque ita quoque Cassiani, qui totam hanc rem tra-  
 stabant naturaliter, foeminarum pubertatem & stimaturi fuisse  
 videntur, nisi causa ea de re disquirendi ac disputandi praecita,  
 & pubertas foeminarum jam mature fuisse determinata: ete-  
 niam jam olim Lex Papia Poppaea eam certo annorum numero  
 finivit, ac puellas duodecimo aetatis anno viripotentes haberi  
 voluit, uti discimus ex Dione Cassio *l. 54.* atque inde eam atra-  
 tem ab hac lege legitimam dictam fuisse Veteribus in *l. 50. §. 6.*  
*de leg. 3.* & in marmore apud Gruterum p. 690. 4. putant Mer-  
 rill. *l. 5. obf. 17.* & Heinecc. *ad L. Jul. & Pap. l. 2. c. 15.* §. 6. Igitur  
 mirum non est, disputationem JCororum, quam narrat Ul-  
 pianus *tit. II. §. ult.* tantum circa masculos versari; frustra  
 enim quæviscentis de puberitate foeminarum, quæ lege jam  
 erat definita. Hinc etiam in Digestis tot occurrunt leges,  
 in quibus JCori diserte dicunt foeminas viripotentes non es-  
 se nec nubere posse, nisi post duodecimum aetatis annum, ve-  
 luti *l. 4. de Ritu Nupt. l. 32. §. 27. de donat. inter V. & U. l. 17. §. 1.*  
*de reb. aucto. jud. possid.* & hoc adeo verum est, ut eadem aetas  
 etiam in concubinis exigatur, *l. 1. §. ult. de concub.* (quæ ex Ulp.  
*l. 2. ad L. Jul. & Pap.* est defuncta) imo ut puella minor duo-  
 decim annis, quamvis domum ducta, & natura seu habitu  
 corporis jam viripotens sit, viripotens tamen & uxor ante  
 annum duodecimum non credatur. *v. l. 13. §. 8 ad L. Jul.*  
*de adult.* Postquam autem dubertas seu viripotentia fo-  
 minarum ita duodecimo aetatis anno, in causa nuptiarum,  
 esset definita, JCori merito hanc determinationem civilem  
 multo magis in causis mere civilibus locum habere oportet  
 rati sunt, ideoque eam ad testamenta, similiave nego-  
 tia, ubi de pubertate earum queritur, extenderunt. *v. Paul.*  
*l. 3. R. S. tit. 4. §. 1. l. 5. qui test. fac. poss. l. 2. de vulg. & pup.*  
*subst. l. 11. pr. quod. fals. tut. l. 3. de censib.* Jam olim itaque  
 pu

Pubertas foeminarum non ex habitu corporis, sed ex annis  
fuit estimata, idque non in causis tantum mere civilibus,  
sed in omnibus, sive omnimodo, ut Justinianus loquitur in  
d.l. ult. C. quand. iut. vel cur. qui propterea nihil novi ea de  
re constituit, verum simpliciter hanc antiquitatis normam  
in foemini bene positam in suo ordine relinquit, & in po-  
sterum servari jubet, pr. J. quib. mod. tut. fin. Ceterum ex  
dictis pater, Cujacium in conim. ad l. 2. D. de excusat. recte  
notasse Servium, qui ad illud Virg. l. 7. aneid. v. 53.

*Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.*  
Ira nota: secundum jus dictum; in quo & ex annorum ra-  
tione, & ex habitu corporis etas probatur. Ita enim Priscus  
quidem senferat in masculis, & ad hos quoque servius ad  
Eclog. 8. hanc lententiam recte retulit; verum de foeminis  
nullibi id dicitur. Quidni igitur istum Virgilii versiculum  
ita capamus, quasi diceret, *Jam matura est viro, quia an-*  
*nos pubertatis implevit: nam ita quoque Ulp. nosfer quam*  
*Puellam alibi nondum nubilis etatis* (quod forte a Virgilio  
aliove Poeta mutuatus est. v. Scipio Gentilis l. 2. Parerg. c.  
18.) eandem alibi *immaturam* vocat. v. l. 10. de cond. & dem.  
junct. l. 32. §. 27. de donat. inter V. & U. Similicer alii etiam  
Poeta loquuntur. v. Ovid. l. 14. Metamorph. v. 335. & Clau-  
dian. l. 1. de laud. Stilic. v. 69. Eleganter viripotentem virgi-  
nem depingit Cyprianus in Carmine Sodom:

*Sunt intus natae bijuges mihi, nubilis etas,*  
*Virginitas in flore tumet, jam dedita messi,*

*Digna cupido viris.*

A quo non multum ab ludit illud Statii l. 1. Achill. v. 292.

*Virginitas matura toris, annique tumentes.*

Lepide quoque hanc in rem ita cecinit Illustr. Cabsius:

*Virgo licet taceat; pro virginе nucilis etas*

*Exigit, & patrem, vel sine voce, monet:*

*Ora petunt, rosæque genæ, tumidaque papillæ,*

*Solvitur in tacitas tota puella preces.*

Prudenter autem juris nostri conditores puberatatem tam masculorum quam feminarum ita ex annis estimarunt, nec ulla est ratio, cur Antonius Matthæus, *Disput. 7. Fundam. Jur. thes. 22.* Jus Romanum idcirco fugillaret, quasi vero naturæ ac honestati, ut & fini conjugii sit convenientius, ut estimetur ex habitu corporis: nam ut alia mittamus, utique fatus est, certam regulam de ætate nuptiis contrahendis idonea constituti, quam si perpetuo in singulis hominibus fluctuemus, & incerto jure agamus, præterim cum ipsa quodammodo natura hanc ætatem signet, quippe post annos bis septem ipsa ætatis necessitate pubescit, atque tunc moveri incipit vis generationis in masculis, auctore Macrobio in *Sonn. Scip. l. 1. c. 6.* & Plutarchus *l. 5. de placit. Philos. c. 23.* circa Secundum Septenarium genitale sementem secerni ait; unde & tunc incipiunt genitalia tentamenta, ut Ambrosius loquitur *l. 6. epist. 39.* Fœminas quoque citius viro maturas & plenis nubiles annis quam masculos puberes fieri, experientia docet; de cuius tamen rei ratiōne mite ambigitur. Apud Macrobium *l. 7. Saturn. 7.* duo introducuntur ea de disputantes, quorum alter Horus fœminas ideo celerius putat generatione idoneas esse, quia carent amplius, quod firmat Hippocrates *l. 1. de morb. mul. sed. 5.* Symmichus autem illud feminarum naturæ infirmiori adscribit, ut exilia poma celerius maturescunt, robustus ferius; quem iuvant Arift. *l. 4. de gen. anim. cap. 6.* & Plin. *l. 7. hist. nat. 4. vid. Cl. Huber l. 2. Digress. cap. 13.* Alii alias adferunt rationes, quas habet Brouwer de *Jur. connub. l. 2. cap. 3. n. 16.* Quocum ego accuratiorem hujusce rei indagacionem illis relinquo, quibus incurabit operationis naturæ pernicius persecutari. Nobis sufficere potest, natura tardiorē esse marium puberatē, quam fœminarum viripotētiam, ut sciamus, juris auctores in determinanda puberatē & ætate nuptiis matura masculorum & fœminarum naturæ du-

ductum fecitos fuisse, non quasi naturam in pūcto express  
 siffent, sed quod proximis ad ejus consuetudinem accedant.  
 Alix quidem gentes laudandos existimabant, qui sero ani  
 mum appellerent ad nuptias, rati properatam Venerem ro  
 bori et maturitati liberorum æque ac ipsorum parentum  
 officere. vid. Hesiodus oper. & dier. l. 2. v. 314. Aristot. l. 7.  
 Polit. c. 16. & Petrus ad Leg. Attic. l. 6. tit. 1. p. 436. Quo sen  
 su aceipi debet, quod de antiquis Germanis scribit Cæsar l.  
 6. de bell. Gall. cap. 21. qui diutissime impuberes permanerunt,  
 maximam inter fuos ferunt laudem: hoc ali flataram, ali vi  
 res, nervosque confirmari putant, intra annum vero xx. fe  
 mine notitiam habuisse, in turpisimis habent rebus. Quam  
 ob causam & eosdem collaudavit Tacitus de mor. Germ. cap.  
 20. quod sera apud illos fuerit juvenum venus, & hinc inex  
 hausta pubertas Ait aliter rariones componebant Romani,  
 non tantum quia illorum Respublica era militaris, qua ad  
 bellicam gloriam, & ad proferendos imperii limites erat  
 comparata, cui fini idcirco leges suas accommodabant, so  
 bolis procreationem omni modo promoventes, ac civita  
 tem tuam hominum adjectione potius quam pecuniarum  
 copia ampliari præoptantes. v. l. 64. §. 1. de cond. & dem. junct.  
 l. 7. §. 3. de bon. dannat. verum ideo imprimis tenerz ejus  
 modi duodecim annorum vel etiam minores adhuc puel  
 lae Romæ nuptui dabantur auctore Plat. in Numa, ut mo  
 res castos incorruptosque ad sponsum deferrent, & animi  
 carum rudes arque amorum vicissitudine nondum exerci  
 tati marito essent flexibiliores ac formosu faciliiores: Valer.  
 Maxim. l. 6. c. 1. §. 4. eoque respexit Seneca in Controversis.  
 Duxi uxorem, inquit, nullis adhuc inquinatam fabulis; nec  
 miror innocentem tunc fuisse; adhuc puella erat. Huc ap  
 plicari potest putchrum Ulpiani in famili effatum in l. 37.  
 de adul. edict. Præsumptum est enim, ea (ingenia) que rudia  
 sunt, simpliciora esse, & ad omne ministerium optiora & do  
 ciliora, trita vero & veterana difficile est reformare, & ad  
 fuos

*suos mores formare.* v. Forner. l. 4. *rer. quotid. cap. 1.* Hinc etiam post Legem Julianam & Papiam virgines adhuc immaturæ ante annum duodecimum tam frequenter dominum ductæ fuerunt, ut præter loca in jure passim obvia etiam evincunt multæ inscriptions apud Gruterum, & præcipue apud Fabretum cl. 8. n. 186. ubi Valeria VIXIT ANNIS XXII. CON. CONJUGE VIXIT. ANN. XI. DIEB. XXX. qua de re vid. Celeb. Otto in *differt. de perp. fem. tut. cap. 1.* §. 3. & *comm. ad pr. J. de nupt.* Atque hæc quoque ratio videtur, cur pater qui filiam immaturam in familiam sponsi perduxerit, cum nondum in ejus cubiculum venire possit, illud affectu magis propositore, quam dolo malo fecisse credatur, secundum l. 11. §. 3. quod fals. tut. scilicet non ut statim cum sposo consueiceret (talem enim consuetudini maritali tradere esset quodammodo naturæ injuriam facere) sed hunc in finem, ut facilius ad mores & obsequia ejus futuri mariti; noverant quippe prudentes Romani, parentum sepe custodias nutricum fabulis & pravis fuctionibus deludit, ut eleganter ait Constantinus in l. 1. C. Thed. de rapt. virg. de quarum nutricum redemitis discursibus & poena vid. Jac. Gothofr. *comm. ad d. l. & ad l. 1. C. Th. de nupt.*

## VI.

Hæc autem ratio pubertatis ita definita quamvis faciat, ut nuptiæ contrahi possint, non tamen sufficit, ut puberes, in turelam suam venire, testamentum condere, aliave, in quibus animi judicio opus est, gerere possint. Enimvero firmas mariti officio fungi, foemina virum pari possit, quid illud ad ingenii atque judicii maturitatem? Attamen creditibile est, Romanis haud temere ita placuisse. Mero jure naturali haud est definitum, quando puer distinctius ratione uti, & negotiis absque tute gerendis aptus esse incipiatur; quia jus naturæ tantum definit generalia, quæ ubi vis

& apud omnes gentes sunt certa, at vero non eodem tempore in omnibus hominibus, sed pro vario populorum ingenio, pro diverso singulorum hominum in quavis civitate temperamento in aliis citius, in aliis tardius, judicium maturat. Hoc itaque rerum statu illud ex cuiusvis quotidianis actionibus foret estimandum. At quia difficilis & lubrica valde hac erat dijudicatio, hinc ubivis fere gentium legislatores ex tarda aut veloce populi sui indole certum hic temporis terminum in universum constituerunt, licet unus forte altero praeocioris ingenii esset. v. Cel. Otto ad Pufendorf. d. offic. l. i. cap. 9. §. II. Romani non sine ratione hic quoque annum decimum quartum in malculis, duodecimum in foemini definitiverunt; Plerumque enim corporis temperamentum animus imitatur, ut ferme æqualis sit utriusque maturitas, et ex Aristotelis sententia l. 4. Meteororum eo tempore res perfecta intelligitur, cum sibi similem in specie procreare potest. Tertullianus de anima. cap. 38. Libertatem quoque animalem, inquit, cum carnali dicimus convenire, pariterque & illam suggestu sensuum, & istam processu membrorum exsurgere a quarto decimo fere anno, non quia Asclepiades inde sapientiam supputat, nec quia iura civilia adhinc agendis rebus attemperant, sed quod & hec de primordio ratio est. Quin Stoici, a quibus nostri hanc libertatis determinationem desumlerunt, quique putabant, animam simul cum corpore crescere, ut observat Merilius l. 8. observ. cap. 29. eam idcirco denum post duas annorum hebdomadas adolescere, & ab eo tempore exoriri intelligentiam boni & mali censemant. v. Plutarch. l. 5. d. plac. Phil. 23. aliaque loca apud Merill. l. i. observ. 22. Lucretius hanc in rem ita cecinit l. 3. V. 446.

*Præterea gigni pariter cum corpore & una  
Crescere sentimus pariterque senescere mentem.  
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur*

G

Cor

*Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis.*

*Inde ubi robustis adolevit viribus etas,*

*Constilum quoque mojus, & auctor est animi vis.*

Hanc autem Stoicorum sententiam perstringit Lactantius de  
div. præm. c. 12. Non idem, ait, est mens & anima. Mens enim,  
id est, intelligentia vel augetur vel minuitur pro etate. Anima  
in statu suo semper est, & ex quo tempore spirandi accepit fa-  
cultatem, eadem usque ad ultimum durat, donec emissa cor-  
poris clauso ad fedem suam revolet. Nec aliud fortissim  
voluerunt ipsi Stoici: nam Posidonius Stoicus apud Gale-  
num de Hipp. & Plat. Dogm. l. 5. cap. 9. ita insit: *Parva a*  
*principio rationalis facultas & imbecilla est, magna posse a*  
*fortis evadit circa quartum decimum annum. v. Fabrotus exer-*  
*cit 9. Verum utut tandem ita fenerint Stoici, sicuti Merilius*  
*exsimiat, non tamen puto JCos nostros doctrinam istam*  
*secutos, quando ajunt, impuberum nullum esse animi*  
*judicium, eos nihil tene posse, omnia ignorare, nec velle*  
*nec nolle. v. §. 1. J. quib. non est perm. fac. test. 110. de jur. &*  
*fact. ignor. l. 12. rem pup. salv. for. l. 180. de R. J. nam si ha-*  
*fimilesve leges ita intelligantur, ut in cap. præced, dictum*  
*est, nil eau/a videtur, cum talem sententiam JCis assinga-  
mus. Illud interim ex dictis obseruare licet, veteribus*  
*persuasum huius, circa hanc etatem judicium quoque ut*  
*plurimum maturescere, & rationem distinctius sele exere-  
re, quo pateat, Juris Romani auctores aliorum quoque*  
*prudentum hominum judicio convenienter pubertatem e-*  
*tiam in civilibus ita definitivisse. Et sane apud Hebraos et-*  
*iam pubertas civilis ita ferme fuit determinata; nam ma-*  
*nes, qui annum implebant decimum tertium, scemina, qua-*  
*Grotius l. 2. cap. II. §. 5. n. 2. & Samuel Petitus l. 3. obseru-*  
*cap. 3.*

### VII.

*Quemadmodum autem adolescentes post pubertatem*  
*jure*

jure civili in tutelam suam veniunt, ita quoque jure naturali patria potestas, postquam judicium liberorum aetate maturuit (quod tamen in puncto non consistit) valde minuitur, ut docet Grotius l. 2. c. 5. §. 3. tunc enim illa quidem actiones omnino parentum imperio subsunt, qua ad familiam, in qua manent, respectum habent; in reliquis autem quo magis crevit judicium, eo magis potestas decrevit, atque incipiunt liberi habere facultatem moralem agendi, ita ut v. c. pater eos ad hinc vel illam aetatem addiscendam cogere non possit. Hinc Cicero l. 1. de offic. 32. Tempus pubertatis, ait, a natura ad diligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est: atque hinc in cunte adolescensia id sibi quisque genus etatis degende constituit, quod maxime adamavit. Quamvis liberos in talibus quoque studere oporteat semper, ut parentibus placant, eorumque auctoritatem sequi, tum quia id postulat pietas & grati animi officium, tum quia parentes optimum tempus pro liberis consilium capiunt; ipsi autem in hac aetate sapientia contra comoda propria laborant, quia licet judicium eorum aliquatenus sit perfectum, nondum tamen quid optimum sit, judicare possunt: nam prudentia seu sapientia non cadit in hanc etatem, ut Cicero ait pro Caelio cap. 31. Profecto si quae alia artas, hanc sane rectore indiger, quia humores tunc maxime ebullientes in prava facile deflecti possunt, & voluptates, quae inclusae diutius & prima etate compressae & constrictae fuerunt, subito se se nonnunquam profundunt atque ejiciunt universae, ut loquitur Cicero d. l. quare Chrysostomus Homil. 82. in Matth. fluctibus ventisque Aegaei maris vehementioribus & tunc adolescentia non immerito comparavit. Vehementi quippe imperu fertur plerumque artas ista in promissa facilis, seu plena, diffidere nescia, & liberalitatis famam ubique captans. Eleganter etiam hoc expressit Horatius de arte Poet. v. 161.

*Imberbis juvenis tandem custode remoto  
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi:  
Cereus in vitum fleti monitoribus aper,  
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,  
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.  
Ad hos igitur applicari potest illud Virgil. l. 3. Georg. v. 16.*

*Viamque insiste domandi,*

*Dum faciles animi juvenum, dum mobilis etas.*

Nec minus pulchre Justinianus ait: Melius enim est coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium, in l. ult. §. 5. C. de bon. que lib. Has ob rationes Athenis Areopagus juvenuti praefectos dabat, qui morum rationem habent, ut Isocrates in Areopagitica testatur. Romæ partes etiam liberis suis idcirco praeficer solebant paedagogos, ut eorum progreffus, actiones & mores observarent atque formarent, l. 35. de Fid. Libert. Plaut. Bacchid. 3. 18. Suet. Ner. 36. vid. Colerus Parerg. cap. 26. & Rævardus l. 2. cœjct. cap. 19. Notatu dignus est locus Plutarchi de lib. educ. Culpandi sunt parentes nonnulli, qui postquam filios suos paedagogis magistrisque commendaverunt, ipsi quid discutant neque inspiciunt unquam neque audiunt: magno sane cum errore. Oportebat enim ipsos intervallo paucorum dierum subinde explorare puerorum prof. Etus, neque in mercenarii voluntate omnem siem collocare. Qui & ipse majorem deligentiam pueris instituendis erat impensurus si identidem minoris sui rationem sibi reddendam fore sentiret. Eandem ob causam Valentinianus Imp. in l. un. C. de emend. propinq. constituit, ut seniores propinquai minorum, quibus parentis deficit, leviora delicta seu morum vitia corrigant, & li verbis vel verecundia ad frugem perduci non possint, privata eos animadversione compescant; ut quos ad vite decora domestice laudis exempla non provocant, saltam correctionis medicina compellat, ait, Imp. Ex quibus verbis, ut & ex in scribi

scriptione legis, quæ dirigitur ad Senatorum, non improbabilius conjectit Jacobus Gothofredus in comm. ad d. l. Tom. 3. C. Theod. p. 83. ad Senatoriarum proprie familiarum decus tuendum hanc constitutionem emulisse Valentinianum, eamque ad Senatorios minores nominatim pertinere, quos in primis a propinquis emendari & ad cultioris vita frugem erigi ideo voluit Imperator, quo ita ad Senatorii generis decus adfuercent, & lumen, quod iis Majores prætulissent, posteris ipsi præferrent, nec de Senatoria dignitatis amplitudine aliquid detraheretur, si juvenes illi, quibus generis felicitas honorem aliquando spondebat, morum virtutis inquinati isti ordini aggregarentur: his enim Senatorii generis minoribus utique domesticæ laudis exempla suppetunt, & domesticæ vita decora prælacent. Etsi hæc verba in aliis quoque locum habere videantur, in universum quippe ad excitandos inflammandosque ad virtutem juvenum animos exempla domesticæ plurimum momenti habent, de quo Savaro ad Sidonium Apollinarem l. 1. epist. 6. Sed apprime hanc legem illustrat Statius l. 5. sylv. 2. v. 51.

*Disce puer: nec enim externo monitore perendus  
Virtutis tibi pulcher amor, cognata ministret  
Laus animos: aliis Decii, reducetque Camilli  
Monstrentur; tu disc patrem &c.*

Et paulo post v. 58.

*Tibi talia, pronis  
Auribus, bac certent tibi conciliare propinqui,  
Hæc iterent comites præcepta senesque paterni.*

### VIII.

Nunc antequam ad plenam Pubertatem progrediar, aliquid dicendum erit de ætate Prætextati, cuius meminit l. 3. §. ult. de lib. exhib. Vocabitur autem atas prætextata a toga prætexta, cui scilicet limbis purpureis erat prætextus, quamque puerorum vestem fuisse, usque dum togam puram seu

virilem acciperent, notum est. Hinc igitur *etas prætextata*, pueri illi *prætextati* appellantur. Multa quidem hic ex antiquitatibus adferri possent, verum nos tantum sollicitos esse oportet, quoisque *etas* hæc *prætextata* porrigeretur, & quanto *etas* anno adolescentes posita *prætextata* togam virilem sumferint. Qua de re non est una eruditorum sententia, sed diversæ plane atque contraria. Quidam putant, pueris exacto anno decimo quarto togam virilem dari consueisse. Alij eandem post annum decimum quintum datam volunt. Sunt qui togam puram post annum decimum sextum acceptam fuisse contendunt. Rursum aliij eam adolescentes expleto anno decimo septimo demum summissi arbitrantur. v. Valesius ad Excerpta N. col. Damasc. p. 447. Lipsius & Gronovius ad Tacit. l. 12. annal. 41. Noris. ad Cenotaph. Pif. dissert. 2. cap. 4. Sigonius l. 3. de judic. 18. Constantinus l. 2. subtil. enod. 6. Pancirolius l. 1. var. lect. 15. Brissonius in voc. *prætextatus* aliquie. Verum sicuti mores ac ritus in Republica pro vario temporum ac rerum statu variare solent, ita valde probabile videruntur hac in re non semper eundem annum servatum fuisse; pro diversa quoque perlonarum condizione, iudicii maturitate aliisque circumstantiis nunc cirtius, nunc tardius *prætextam* positam fuisse, utique tamen non ante pubertatem, atque ita mirum non est, scriptores veteres hac in parte non convenire. Sueton. August. 8. Calig. 10. Tacit. l. 12. annal. 41. Lamprid. in Comm. 2. Starius Papin. l. 5. sylv. 2. v. 12. junct. v. 66. Hunc inclinant Bachovius ad §. ult. J. ex quib. caus. manum. Huber l. 3. Digress. cap. 15. & Petrus Servius Mifcell. cap. 1. tom. 2. Mifcell. Ital. nec ab ea sententia alienus est Ravardus ad l. 2. §. 1. de R. J. qui tamen perperam explicavit d. l. 3. §. ult. de lib. exhib. ubi ita feribit Ulpianus: *Prætextatum*, eumque qui proxime *prætextati* *etas* accedit, interim apud matrem fam. deponi *Pretor* juber. Proxime *etas* *prætextati* accedere eum dicimus, qui puberem etat.

etatem nunc ingressus est. quorum verborum hinc putat  
sentum esse Rævardus: eum qui adhuc prætextam gerit, apud  
aliquam matrem, deponendum esse, cum de eo exhibendo a-  
gitur, & prætextatorum etati pubertatem proximam esse,  
sic ministrum ut post finitam pubertatem, anni, biennii, aut  
ad summum triennii spatio etas eriam finiatur prætextato-  
rum. Quæ interpretatio menti legis contrariatur: nam si  
hoc voluisse JCrus, post pubertatem scilicet adhuc aliquo  
tempore durare etatem prætextatam, quomodo quælo po-  
tuit, dicere, puberatam ingressum proxime etatem prætex-  
tati accedere? sic enim puberem etatem ingressus non ad  
etatem prætextatam accederet, sed revera adhuc prætextatus  
seu in etate prætextata esset. Præterea quoque non video,  
quenam tunc foret differentia inter prætextatum, & eum,  
qui proxime illam etatem accedit; inter quos tamen ac-  
curate distinguit Ulpianus. Rectius itaque ac simplicius  
hanc legem ita interpretatur Augustinus l.3. emendat. cap. 9.  
prætextatum nempe puerum seu impuberem significare, pro-  
xime vero etatem prætextati accedere eos, qui nunc pu-  
berem etatem ingrediuntur, ut proximus infantiae dicitur,  
qui infans esse nuper desit. Unde dilecimus JCrorum no-  
niorum avo pueros post pubertatem ferme prætextam po-  
suisse; quod etiam firmat Tertullianus, qui circa idem tem-  
pus scripsit, ethnicos sceminas a duodecim annis, masculi-  
los a duobus amplius ad negotia mittere. Paulus aliter d. l.  
3. §. ult. exponit Marcius ad Sueton. Domit. cap. 10. Ce-  
terum illud de etate prætextata hic observari dignum, suis-  
se eam Romæ quam maxime periculosa juventuti proprie-  
tates infidias, quibus pudicitiam prætextatorum tam pue-  
rorum quam pueriarum appetebant homines nequam, ut  
scriptores veteres passim restantur, & de P. Scipione narrat  
Polybius in excerpt. Vales. p. 153. Cicero propere illud  
tempus etatis sua sponte infirmum, aliorum libidine infirmum  
vocat in Orat. pro Coel. c. 4. Manifestum ejus rei exem-  
plum

plum est apud Val. Max. l. 6. c. 1. §. 12. in adolescentie jam  
 militare, adeoque non amplius prætextato, qui Tribunum mi-  
 litarem ipsum de stupro compellantem interfecit, cuius &  
 meminit Cicero pro Milone cap. 4. Et ideo imprimis præ-  
 textatis pueris pariter ac puellis custodes seu pædagogi ap-  
 ponit soliti, qui tanquam ductores & comites eorum lateri  
 semper adherebant, eosque ubivis comitabantur (unde &  
 comites dicuntur l. 15. §. 16. de injur.) ut scilicet adversus  
 vim istorum sceleratorum, qui pudori ipsorum illudere vo-  
 lebant, tuti essent. v. Val. Max. l. 3. c. 1. §. 2. & l. 6. c. 1.  
 §. 3. Sueton. Aug. 44. & in Claud. 35. Plin. l. 3. epist. 3. ad  
 de Proverb. 2. v. 17. & Rævard. l. 4. varior. 17. Eandem  
 Ob causam purpura illorum togæ prætexebatur, uti obler-  
 vat Calaubonus ad Pers. Sat. 5. v. 30, quia illa habebatur Sa-  
 cra, eamque violare erat nefas, unde Persius d. l. purpuram  
 custodem vocat; & Quintil. declam. 340. Ego vobis allego  
 etiam illud Sacrum prætextatum, quo sacerdotes velan-  
 tur, quo magistratus: quo infirmitatem pueritæ sacrum  
 facimus ac venerabilem. At vero imaginaria illa &  
 facta purpure sanctitas prætextatos non multum tueri  
 potuit adversus illos, quos facti sceleritas ab eo non re-  
 trahere, imo quorum nequitiam vix reprimere poterat  
 metus poenarum, quibus gravissimis pudicitiam prætexta-  
 torum muniverunt leges civiles; namque cum, qui puer  
 prætextato stuprum perfuderit, ut & qui domum suam ad  
 id præbuerit, perfecto flagitio capite puniri, imperfetto  
 in insulam deportari jubent; eum autem qui prætextatum  
 prætextansim tantum affectatus fuerit, injuriarum tene-  
 ri statuunt: comites quoque, qui pro eorum salute ex-  
 cubare debebant, si se corrumpi patientur, summo sup-  
 plicio affici volunt. Hæc docent Justin. in §. 1. I. de injur.  
 & Paul. l. 5. R. S. tit. 4. §. 14. atque hæc Pauli sententia extat  
 in l. 1. §. ult. de extr. crim. ubi tamen Tribon. vocem præ-  
 textato omisit, uti notat Cl. Schulting. ad Paul. d. l. CA

## CAPVT IV.

DE PLENA PVBERTATE, ET AETATE  
FIRMATA.

## §. I.

Vidimus in praecedenti capite pubertatem minus plenam,  
 & qua ei affinis est, aetatem prætextatam: nunc tempus est,  
 ad plenam puberatatem progrediamur. Hac autem in jure no-  
 stro decimo octavo aetatis anno definitur, l. 40. §. 1. de adopt.  
 & §. 4. I. eod. At quando & qua ratione haec aetas ita fuerit  
 determinata, non aequa liquet. Bachovius ad d. §. 4. Infl.  
*Aliis*, inquit, auctoribus non habeo, qui confirmem istam de-  
 terminationem plenæ pubertatis. Petitus ad leg. Attic. p. 142.  
 & l. 3. obser. 6. putat a Justiniano primum definitam esse  
 plenam puberatatem, atque ideo verbis istis, *id est decem &*  
*otto annis* in d. l. 40. ut & apud Paulum, l. 3. R. S. tit. 4. §. 2.  
 controversiam movere, quasi ea addita fuerint ab aliquo in-  
 terprete, sed manifeste ea in re lsbitur, merito notatus a  
 Jacobo Gorhofredo comm. ad l. 17. C. Th. de bærer. nam do-  
 get quidem in §. 4. I. de adopt. Justinianus hanc esse puber-  
 tam plenam, verumtamen ipse nihil circa eam novi con-  
 stiuit, quod etiam facere nunquam solet ita simpliciter ac  
 tacite, sed exhibito plerumque maiore verborum apparatu,  
 & commendatione quadam sua legislationis. Et quo pacto  
 ex jure Justinianeo interpolatum dicemus Paulum in Recept.  
 sent. d. l. cuius utique fragmenta multo sunt antiquiora? v.  
 C. Schulting. ad Paul. cit. loci. Alter Clar. Huberus in præ-  
 lect. ad tit. I. de adopt. n. 7. existimat plenæ pubertatis ra-  
 tionem alimentorum respectu imprimis repertam esse,  
 quam Hadrianus constituit in pueris usque annum deci-  
 mum octavum l. 14. §. 1. de alim. leg. verum nec ipsi ea in  
 re assentiendum; etenim jam mature servius Tullius Rex

H

Po-

Populi Romani hanc etatem signavit, quando pueros ad-  
huc centeri voluit, qui minores essent septendecim annis,  
neque attigissent annum octavum decimum, quod ex Tu-  
berone refert Gellius l. 10. cap. 23. quæ verus servi Tullii  
definitio deinde moribus retenta videatur, eamque probavit  
Moecenas apud Dionem l. 52. & Prætor quoque in Edicto  
secutus est, pueritiam similiter annis septendecim circum-  
scribens, l. 1. §. 3. de postul. Depromferunt autem Romani  
hanc plenæ pubertatis definitionem a Græcis observante  
Cl. Ottone comm. ad §. 4. I. de adop. hi enim ut primum  
aliquis octavum decimum etatis annum attigisset, eum in-  
ter ephebos referebant, ut Pollux tradit l. 8. onomast. 30. &  
Censorinus de Die Nat. cap. 14. scribit: De tertia etate ador-  
lescentulorum tres gradus esse factos in Græcia, priusquam  
ad viros perveniantur, quorum ultimus sit annus decimus se-  
primus. Qui idcirco apud Athenienses finem tutelæ im-  
ponebat, ut colligi potest ex Demosth orat. contra Aphobum  
tutorem suum, ubi narrat, se mortuo patre septem annos  
natum fuisse, & tutores ei bona tradidisse, postquam decem  
annis ei præfuerint. Rationem autem, cur veteres Græci  
& Romani plenam pubertatem ita anno octavo decimo  
definiverint, luppeditas Censorinus de Die Nat. cap. 7. nem-  
pe, quod in omnibus hæc natura sit, ut septem mensibus an-  
nisve, tres aut menses aut anni ad confirmationem accedant.  
Nam denter septem mensum infanti nasci, & maxime deci-  
mo perfici mense: septimo anno primos eorum excidere, de-  
cimo ultimos. Post decimum quartum annum nonnullos, sed  
omnes intra septimum decimum annum pubescere. Quo sensu  
accipendum, quod Paulus l. 3. tit. 4. §. 2. ait, plerosque anno  
decimo octavo pubescere; videlicet ea ferme etate pube-  
scunt etiam frigidiores, si modo unquam puberes futuri  
sint, & pubertas, quæ anno decimo quarto incipit, tunc  
certe maturefecit. Hinc etas hæc dicitur plena pubertas, ut  
& plena perfecta adolescentia in l. un. C. Theod. de his  
qui

qui ven. etat. Hinc qui ad etatem octodecim annorum pervenerunt, vegetari dicuntur in l. 7. C. Th. de decurion. Justinianus quoque huic etati aliqualem adscribit judicij stabilitatem in §. ult. I. quibus ex caus. man. non lie. & Mx- cenas apud Dionem Cassium l. 52. Hac etate, ait, potissimum & corporum firma affectio & ingenium conficitur. Quapropter Romani ab eo tempore adolescentes idoneos iudicarunt sagatae togataeque militiae obcundae, ad quod labore corporis & animi exercitatione opus est. Praetor namque in edicto, quod dignitatis sue tuendae causa propositur, ne fine delectu apud se postularetur, hanc etatem moderatam ratus est ad procedendum in publicum, eique adiutum ad forum & postulationes aperuit; pueritiam vero excusavit, hoe est, uti ipse explicat Ulpianus, minorem decem & septem annis, qui eos non in totum complevit, prohibet postulare, l. 1. §. 3. de postul. adeoque verbum excusavit ibi usurpatum pro prohibuit: nam Cujaci lectionem pro excusavit reponens excusavit mendosam esse ostendit Prae- les Ampliss. Bynkersh. l. 4. obser. II. Pueritiam autem definit Ulp. septendecim annis minorem etatem, quia more atque instituto majorum post id denum tempus deposita praetexta toga virilis sumi debuerit; ita enim videtur cum Cujac. l. 22. obs. 16. & Ampl. Bynkersh. d. l. (quamvis, ut supra dictum, Romani valde ea in re variaverint) atque tunc adolescentes cum pompa quadam toga pura loco praetexta induiti in forum deducebantur, eaque dies, qua solennis deductio fiebat, festivitate domestica & publica celebribatur. v. Suet. Auguft. 26. Neron. 7. Plin. l. 10. ep. 117. dicebaturque dies tirocinii, quia ab eo tempore forensibus negotiis sese accingebant juvenes, unde & tirones appellabantur. v. l. 7. C. de psful. l. 6. §. 3. & l. 7. §. 1. C. de advoc. div. iudicium. nam qui foro destinati erant, ferme circa hoc tempus ad celebrem quendam Oratorem aut Jctum deducabantur, quem sectari ac prosequi deberent, ut ejus pru-

dentia & conversatione doctiores evaderent. v. Cicero de amicit. cap. 1. & pro Cato cap. 4. Insignis hanc in rem est locus in Dial. de cauf. corrupt. eloq. cap. 34. Apud maiores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentia parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refutus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari bunc prosequi, hujus omnibus dictioribus interesse sive in judiciis sive inconcionibus assuebat; ita ut altercationes quoque exciperet, & iuris interesse, utque sic dixerim, pugnare in pectore disseret. Imprimis vero adolescentes accusatione viri aliquius eminentis inclarel cere & tirocinium praclaro quodam opere auspicari annitebantur. v. Suet. Cæs. 4. Cic. pro Cæl. 30. Ita legimus M. Cottam eo ipso die, quo togam summis virilem, Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulasse, & reum peregrine apud Val. Max. l. 5. cap. 4. §. 4. Laudantur & alii in Historia Romana, qui admodum juvenes egregii patroni extiterunt, v. Dial. de cauf. corr. eloq. d. cap. 34. Quintil. l. 12. inst. orat. cap. 6. & caufidicus XVIII. annorum occurrit apud Gruterum inscript. p. 652. n. 4. add. Menagius Amœn. Jur. civ. cap. 2.

## II.

Quemadmodum autem maiores septendecim annis, qui ingressi sunt annum octavum decimum ad militiam fortem apertos censuit Prator, minores autem repellit; ita Servius Tullius jam olim eosdem quoque milites terpilit, & Rempublicam in re militari juvare posse arbitratus est v. Gell. 10. 28. Et deinde quoque veritum fuit, minores de eem & septem annis milites legi, sive id C. Gracchus primus induxit, sive ex superiori tempore repetierit. Liv. 25. 5. & Plut. in Grac. Hinc Augustus sextum decimum annum agens expers belli fuit propter aratem, auctore Suet. l. 2. c. 8. argue ideo de plena pubertatis annis capendum videtur illud Ovidii l. 1. amor. Eleg. 9. v. 5.

Quos

*Quos petiere duces annos in milite forti,  
Hos petit in socio bella puella toro.*

Quam atatem militarem etiam sub Domitiano stetisse indicat locus Statii l. 5. sylv. 2. v. 8.

*Quid si militiae jam te, puer inclyte, primæ  
Clara rudimenta, & castrorum dulce vocaret  
Auspicium, quanto manarent gaudia floru?  
Quosve darem amplexus? etiamne optanda propin-*

*quant  
Tristia? & octonus bis jam tibi circuit orbes  
Vita.*

Deinde quoque Probus Imp. statuit, ut Veteranorum filii ab anno decimo octavo ad militiam legerentur. V. Vopiceus in Probo c. 16. qua in re mire variarunt Principes Byzantini, scilicet prout bellis premerentur, vel ingens Reip. clades vel ingens hostium impressio substantiam & maiorem opem exigeret. v. Liv. 25. 5. & 27. 11. modo enim veteranorum filios ab anno vigesimo usque ad vigesimum quintum ad militiam amplectendam compelli voluerunt. v. l. 2. C. Tb. d. fil. milit. aliquando octodecim annos ea in re praefluerunt. l. 19. C. Tb. d. decur. aliquando sedecim, l. 4. C. Tb. d. fil. milit. & l. 35. C. Tb. de decur. v. Jac. Gothofr. Tom. 2. C. Theod. p. 441. Tirones vero ab anno decimo & nono inchoato ad miliciam eligi voluit Constantius in l. 1. C. Th. de tiron. vbi v. Jac. Gothofredus. De hisce tironibus illud forsitan addi non erit injundum, eorum manibus vel brachiis flagmata seu signa quædam, quibus nomen Imperatoris exaratum erat, imprimi solita fuisse non in poenam aut ignominiam, sed nota seu notitia ergo, ut hoc scilicet indicio internosci possent, & latentes agnosciri, uti pater ex l. 3. C. de fabricens. junct. l. 10. C. de aqueduct. & Vegetii, Ambrosii, Augustini, aliorumque testimoniis firmavit Jac. Gothofr. Tom. 3. C. Th. p. 528. ad quem morem tirones pariter ac servos flagmata quædam

dam notandi in Sacris Literis frequenter allusum. v. Galat. 6. v. 17. Apocalypf. 7. v. 3. & 13. v. 16. add. Fornerius 6. rer. quorid. 25. & Neriū l. 1. analect. 37. Quamvis autem etas militaris semper fere circa plenam pubertatem fuerit constituta, adolescentes tamen jam multo ante vixdum minus plenam pubertatem ingressi, sub inspectione aliquujus militia Duxis armis exercebantur. v. Cic. pro Planc. II. & Plin. I. 8. epist. 14. Serv. ad Virgil. 7. Aeneid. V. 162. atque ita intelligendum quod Vegetius de re milit. l. 1. cap. 4. scribit, ex antiqua consuetudine incipientem pubertatem ad electum cogendam. Ita enim ipse addit: non enim tantum ceterius, sed etiam perfectius imbibuntur, quae discuntur a peeris. & postea: melius enim est, ut exercitatus juvenis causetur etatem nondum adveniente pugnandi, quam doleat posterisse. v. Cl. Otto ad §. 2. I. de curat. Ceterum quid faciemus l. ult. C. de teft. milit. ex qua diciturum pupillos si-  
ve impuberes etiam Tribunatum numerorum fuisse ade-  
ptos, quod cum iis qua dixi conciliari nullo modo posse  
videtur. Lælius quidem Taurellus de militiis ex casu circa  
finem inde eliciebat, impuberes etiam militiae normen dare  
solitos, sed ipsum merito refutavit Ant. Augustinus ad Ma-  
delf. Tom. 4. Thes. jur. Rom. p. 1588. qui illud Imperatorum  
libidine factum ait adversus militarem disciplinam, arque  
hoc imperio Romano finem dedisse. At Rævardus l. 4. va-  
rior. 8. sibi persuadere non potest, a Romanis Principibus  
in impuberes unquam collatam fuisse militarem hujusmo-  
di Tribuni dignitatem, utpote qui armorum scientia, &  
virtute corporis conspicuus esse debeat, ideoque locum  
hunc per transpositionem emendat, & pro Tribunatum nu-  
merorum legit in Tribunatu numerorum. Verum non pro-  
banda haec emendatio, quia difficultatem non tollit; neque  
enim loca Vegetii & Plinii a Rævardo allata impuberes in  
38. referuntur potuisse evincunt. Præterea Suet. l. 2. 6.  
bus

bus non Tribunatum modo legionum, sed & Praefecturas alarum dedit. Optima igitur explicatio videtur Cujae ad l. 8. D. de excus. & l. 17. obf. 36. quod sicuti hodie ita & olim facilius Tribunatus numerorum vel alia dignitas militaris mandaretur impuberi, maxime ex illustri familia profecto, cum posset majores natu vicarios & adjutores habere, per quos Tribunatum gereret, quam onus militiae eidem imponeretur, qua per alios exerceri non potest. Quam & id quoque Imp. Hadriano displicerit, qui nullum Tribunum nisi plena barba fecit, aut ejus etatis, que prudenter & annis Tribunatus robur impleret. auctore Spart. in Hadr. cap. 10. Atque hanc interpretationem etiam sequuntur Jac. Gothsfr. ad l. 14. C. Th. d. re milit. & Thomas Papillon, de fulsif. pupill. cap. 4. Tom. 4. Thes. jur. Rom. Hac de astate militari apud Romanos. Jure Atrico ephesi quoque ab anno decimo octavo ad militiam cogebantur, & per annum urbis custodes erant; anno autem decimo nono accipiebant a populo pro concione clypeum atque hastam, mittebanturque in suburbana castella. v. Petitus ad leg. Antic. l. 8. tit. 1. a quo non multum differt ritus ille, quo antiqui Germani juvenes Reipublicæ militiare admovabant, quem Tacitus eleganter ita describit in lib. de morib. German. cap. 13. Arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffectorum probaverit, rum in ipso conilio vel Principum aliquis vel pater vel propinquus seculo frameaque juventem ornant. hæc apud illos toga, hic primus juvenae bonos: ante hoc dominus pars videntur, mox Reipublicæ.

## III.

Huc usque de plena Pubertate egimus. Nunc ordinis ratio nos ducit ad eam etatem, quæ inter pubertatem plenam, & legitimam vig. nři quinque annorum etatem interjacer, sive uti eleg. nter dicitur in l. 1. C. Th. de his qui ren. etat. imp. que inter plenam perfectamque adolescentiam,

Et robustissimam juventutem media est, illam nimirum, qua  
 venia etatis sive administrandi patrimonii gratia, uti voca-  
 tur in l. II. C. qui dar. tut. vel. cur. peti & impetrari potest.  
 Jure veteri Pandectarum certa etas hac in re definita non  
 legitur, sed videntur Principes anteriores magis prudenti-  
 am in singulis & rerum gerenderum peritiam prestatiae, non  
 autem certis annis hujus veniae concessionem adstrinxisse,  
 quamvis fere circa annum vigesimum eam peti solitam non  
 improbabiliter conjici posse putent ex l. ult. de cond. & dem.  
 ubi filius rogatus erat a patre, si antequam res suas admini-  
 strare possit, deceperit, hereditatem Titio restituere, filius  
 autem egressus viginti annos deceperat. Hinc quodcumque  
 fuit, quando quis res suas administrare posse censeri debe-  
 at, ac per consequens debereturne fideicommissum nec  
 quidem ea de re litigatum fuit coram ipso Principe  
 causam cognoscere, uti colligi potest ex inscriptione legis;  
 est enim desumpta ex Paulo libris Imperialium sententiarum  
 in cognitionibus prolatarum, quare non levem dubitandi  
 rationem subsuisse oportet, quae non alia videtur fuisse,  
 quam quod filius, qui jam vigesimum etatis annum com-  
 pleverat, veniam, etatis petere & impetrare potuisset, at-  
 que ita res suas ipse administrare; quam explicationem fir-  
 mat l. ult. C. de his qui ven. et. imp. ubi Justinianus casum  
 hunc apertius decidit, & ipsum Pauli textum pra' oculis  
 habuisse videtur. Verum enimvero nondum certa jure  
 Pandectarum etas ea in re fuerat praescripta, quo siebat, ut  
 saepe mature nimis cum ipsorum adolescentum detrimento  
 venia a Principe concederetur, donec Constantinus M. hoc  
 in melius reformavit, qui accuratam admodum super hoc  
 condidit l. 2. de his qui ven. etat. imp. quae multo plenior &  
 eleganter extat in Cod. Theod. eod. tit. ubi ne praecepsura  
 nimis venia concessio in perniciem ipsorum adolescentium  
 convertatur, in quo antiquitas parum caverat, certam et-  
 tam definivit, a qua demum venia etatis impetrari posset;  
 nempe

nempe in masculis annum vigesimum etatis exactum requirit, in foeminis vero octavum decimum: servata etiam in hoc argumento venia etatis proportione etatum inter masculos & foeminas, quæ in pubertatis estimatione iniiri solet; nam sicuti foeminarum etas biennio viros non sera pubertate praecedit, ut loquitur Imp. ita quoque biennio citius foeminas quam mores jus legitimæ etatis mereri posse voluit. Hanc autem Constantini legislationem injuria suggestavit Leo in Nov. 28, hoc obtentu, quasi Constantinus ex sola etate viginti & octodecim annorum aptitudinem paterna frugis gubernandæ estimasset: illud enim aperte recenti verba legis, ubi Imperator diserte statuit, ut ad adolescentes viginti annos nati demum etatis veniam imperare possint, si honestate morum sint praediti, & morum instituta probitatemque animi testimonio vita honestioris edocant. Foeminas quoque illas tantum privilegium hoc mereri posse sancit, quas morum honestas, mentisque solertia & certa fama commendat. Licit autem in hac materia cesset ratio generationis non tamen ratione caret, quod foemina biennio citius quam mores veniam a Principe obtinere possint: nam ut supra jam diximus, plerumque ex aristissimo illo nexus corporis temperamentum animus imitatur, ut ferme æqualis sit utriusque maturitas. Hinc curlus muliebris prudentia familiaris celerior est quam virilis. Accius Ægyptius Nonium cap. 4. Melius quam viri, ait, calent mulieres. Solent quoque foemella diligentiores esse atque attentiores ad rem v. l. 4. inf. ad S. C. Vellej. l. 33. §. 1. de donat. inter vir. & ux. l. 16. C. de donat. ante nupt. adolescentes autem vivunt liberius, tardiusque subiguntur, ut apud Comicos passim videmus, & ulus docet. v. Cl. Huberus l. 2. Digref. cap. 13. Cur autem in maribus annum vigesimum requisiverit Constantinus, ipse rationem reddit, quod nempe vigesimi anni clausa etas adolescentiae paterfacie sibi januam incipiat ad firmissime juventutis ingressum.

(similiter fere ac Tacitus Neronem annum, ut Cujacius explicat, vigesimum attingentem juventam ingressum dixit l. 3. annal. cap. 29.) arque hinc etatem hanc Firmatam appellari voluit; quam denominationem, ut tota haec lex stylo elegantissimo & Poëtico est conscripta, Constantinus vel Quæstor ejus mutuatus videtur a Virgilio Eclog. 4. vs. 37.

Hinc ubi iam firmata virum te fecerit etas.

Similiter Lucanus Pharsal. l. 2. vs. 631.

Tunc sobole e tanta natum, cui firmior etas,

Affatur.

Cicerو quoque firmatæ etatis meminit ab adolescentia distincta in orat. pro Calio cap. 18. Multi summi homines & clarissimi cives fuerunt, quorum cum adolescentia cupiditatis defervissent, eximiae virtutes, firmata jam etate existiterunt. Præterea & circa hoc fere tempus, nempe ut Macrobius ait l. 1. Somni. Scip. cap. 6. post ter septenos annos, flore genas vestit juventa, quod signum validæ juventutis vocat Statius l. 5. Sylv. 2. vs. 62.

- - - nondum validæ tibi signa juventæ

Irrepere genis.

Unde & plerumque hoc circiter anno barbam solenniter ponebant juvenes Romani, & alicui Deo confecrabant. Suer. Calig. 10. Ner. 12. Juven. Sat. 3. vs. 186. Adde, quod annus vigesimus fuerit meta finisque studiorum, ita ut ante hoc tempus rebus suis administrandis vacare non potuerint, quod docet l. 3. §. 5. ubi pup. educ. uti indicavit Merillius l. 5. obf. 17. cui congruit, quod statuitur in l. 1. C. Th. de stud. liber. urb. Rom. his qui sedulo operam proficationibus, id est, studiis & artibus navant, usque ad vigesimum etatis annum Roma licere commorari, cuius tamen legis arg. Jacobus Gorhofredus monet non statim hodie annum vigesimum studiis absolvendis ponendum esse. Denique & Hebrai hoc anno vigesimo plenam pubertatem deli-

definiebant, & ab eo tempore publica munia obibant, ut  
testis est Sam. Petitus l. 3. observ. 3. add. Numer. cap. 1. &  
Seldenus de jur. nat. & gent. juxta discipl. Hebreor. l. 5.  
cap. 3. Veteres Germani quoque eo anno pubertatem fi-  
guarile videntur apud Cæfarem de bell. Gall. l. 6. cap. 21.  
Ceterum hanc nostram Constantini legem omnino intel-  
lexit Caffiodorus l. 7. var. form. 41. Atque ideo si id tempus  
constat elapsum, quo ad hanc veniam accedi jura voluerunt,  
nos quoque probabilibus desideriis licentiam non denegamus:  
ut in foro competenti ea, que in his causis reverenda legum  
dictat antiquitas, solenniter attinentur. v. Jac. Gothofredus  
ad tit. C. Tb. de his qui ven. etat. imperr.

## IV.

Hactenus varios aetatis minoris gradus lustravimus.  
Nunc antequam ad aetatem legitimam seu majorem transea-  
mus, supereft jus, quo in universum utuntur minores, par-  
tim tantum puberes, partim etiam impuberes, breviter at-  
tingamus. Quia in re fundamenti loco ponimus legem Læ-  
toriam, plebis citum scilicet illud antiquum, quod minori-  
bus viginti quinque annis variis rationibus prospectum ivit,  
quodque totum in argumento de minoribus versatum fui-  
se ex ipsis legis capitibus, qua ad nos pervenerunt, valde  
est probabile. Sane perquam absurdum est opinio Bodini,  
existimantis datum esse Prætori Lege Lætoria jus supple-  
ndi & corrigendi juris civilis, eamque legem Papinianum re-  
citare suppresso ejus nomine in l. 7. de just. & jur. quem  
propriea sub nomine Andii sine bono acriter reprehendit  
Cujac. l. 18. obs. 38. Tria autem legis hujus capita obser-  
varunt Briffonius l. 3. Select. ex jur. civ. antiqu. cap. 2. & Ja-  
cobus Gothofredus in comm. ad l. 2. C. Theod. de donat.  
Primum cavit, ut minoribus viginti quinque annis curato-  
res darentur, si lascivi essent vel dementes, quod docet Ca-  
pitoli, in Anton. Philos. cap. 10. Alterum minores vetuit

stipulari, id est, *ἐπερωθάσαι* stipulando se obligare auctore  
 Prisciano l. 8. & l. 18. quo alludit Plautus in *Rud.* act. 5. scen.  
 3. v. 25. Tertium denique colligitur ex Cicer. l. 3. de offic.  
 15. quo circumscriptio adolescentum vindicabatur, qua de  
 re & publicum datum fuisse judicium idem scribit *de Nat.*  
*Deor.* l. 3. cap. 30. De singulis videamus. Quod ad primum  
 caput attinet, observandum, Lege XII. Tabb. nihil de pu  
 berum curatoribus fuisse cautum propter scæculi paupert  
 tem & severitatem, quo integri erant adolescentum mores,  
 & honesta habebatur sobrietas. Postea vero increcentibus  
 opibus publicis privatisque labi paulatim coepit vescrum  
 disciplina, & adolescentes luxui & voluptribus sele man  
 cipabant. Igitur instauranda hac in parte collapſa disciplina  
 animum adjectit M. Lætorius Tribunus plebis, & Plebs  
 ipso rogante fancivit, ut adolescentibus lascivioribus & dis  
 solute viventibus, quorum apud Praetorem accusata esset pe  
 tulantia, nec non illis, quorum ultra cotamunem sortem  
 esset ingenii hebetudo, curatores darentur, ut dictum; in  
 de si quis minori curatorem dari postulareret, is necesse ha  
 bebat alteram harum causarum exprimere; quod cum ali  
 quomodo contumeliosum esset, ac propreterea multi, quam  
 vis ad res gerendas parum idonei, non acciperent curato  
 res; ideo Marcus Imp. impedimentum hoc tollere decre  
 vit, statuitque, non utique ut invitati curatores acciperent,  
 sed ut accipere indistincte omnes possent, remissa necessi  
 tate allegandi causas quas L. Lætoria exigebat, ut ita igno  
 minia opinione discussa, minores, si res corum exigeret,  
 curatores sibi ultro petere non dubitarent. Atque hoc jus  
 deinde manſit, & in ipsis rerum obtinuit argumentis, uti  
 patet ex Institutionibus, nec adversatur gravitati ac pruden  
 tiae Romanorum, si consideretur duplex ejus ratio, quan  
 atculit Cl. Otto ad §. 2. I. de curat. Ravarodus hic rursus  
 invehitur in Tribonianum, quasi jus vetus pro novo nobis  
 obſtruſerit, sed refutarunt ipsum Constantinus l. 2. subtil.  
 nodat.

enodat. cap. 9. Huberus l. 3. Digress. cap. 16. & alii. Quoad  
 alterum L. Latorix caput, quod minores stipulari, id est,  
 spondendo se se obligare vetabat, notandum, ita statuisse  
 Latorium, tum ut omnes adolescentibus credere metue-  
 rent, atque ita illi, materia peccandi ipsis deficiente, ad bo-  
 num frugem se recuperent (quod affinitatem aliquam habet  
 cum S. C. Macedoniano) tum ut in omnem eventum in-  
 tacta eorum jura servarentur, quoniam nondum omnes  
 tunc habere poterant curatores, nec dum post vulneraram  
 causam remedium aderat: postquam vero Marcus omnes  
 minores curatores accipere posse voluit, atque etiam Præ-  
 tor illis in integrum restitutionem promisit, alio quoque  
 jure uti coeperunt hac in re Romani, in quo tamen expli-  
 cando valde dissident interpres. Plerisque ita feder, mi-  
 niores curatorem habentes sine ejus consensu civiliter non  
 obligari, ideoque licet hi contractum inire possint, quate-  
 nus ea res in facto confisit, cum tamen non debere serva-  
 ri, sed invalidum declarandum esse absque in integrum  
 restitutione l. 3. C. de in int. restit. min. eos vero, qui cu-  
 ratore carent, valide obligari, ac talem intelligendum esse  
 per patrem fam. sue potestatis, l. 43. de O. & A. quod si se  
 laicos probent eos in integrum restituui, d. l. 3. C. Verum  
 huic sententia valde molesta est l. 101. de V. O. ad quam  
 conciliandam varias vias ingreduntur, quidam etiam filium  
 criticum exferuerunt, qua de re V. Viri Cl. Voer. ad tit. de  
 minor. th. 52. Noodt. de pac. & transact. cap. 20. van Eck  
 ad tit. de pac. th. 34. & Schulting. eod. tit. §. 20. & 21. alii-  
 que: eoque tantopere memoratae opinioni visa est contra-  
 riari Cujacio in comam. & l. 19. obs. 33. ut ipsum in aliam  
 traxerit sententiam, quam etiam singul. disserr. professi o-  
 pera tuerit Vir Ampl. Z. ch. Huberus variis rationibus con-  
 tendens, minores curatorem habentes, eoque non consen-  
 tiente contrahentes valide obligari & condemnari posse,  
 nisi justo tempore postularint restitutionem in integrum,

Vol. 1. diff. 12. Verum hanc quæstionem excutere velle ratione instituti foret alienum, ideoque subfistit.

## V.

Ultimum L. Letoria caput circumscriptiōnēm adolescentū vindicabat, iisque dolo alterius lēfis succurrebat; qua de re præter publicum judicium, quod Cieero restatur ex illa lege datum fuisse, etiam civile aliquod remedium introductum fuisse verisimile est. Exceptionis certe, quæ minori circumscripto datur, fit mentio in l. 7. *inf. de except.* ubi illam, quæ ex h. l. descendit, non improbabiliter intelligit Cujac. l. 19. *obs. 20.* Verum cum sic nondum tatus cautum esset minoribus, Prætor deinde Edicto suo pinguis ipsiā prospexit; nam cum L. Letoria circumscriptis tantum auxilium ferret, Prætor etiam propria simplicitate & lubrico consiliī captis subvenit, promisitque, se, si quid cum minore quam viginti quinque annis natu gestum sit, utique quæque res esset, animadversurum esse. Nec mirum videri debet, Prætorem eos, qui anno decimo quarto tutela liberaabantur, & decimo octavo ad officia virilia idonei credebantur, adhuc tanto temporis spatio custodiendos putasse, siquidem Prætorum vel hac causa maxime comparata fuit auctoritas, ut jus antiquum ad usum civilis experientia aucterent argue mollirent. Jam vero usus docuerat, fragile esse & infirmum atatis minoris consilium, & multis captionibus suppositum, muleorum infidis expoliū, ut eleganter ait Ulp. in l. 1. *pr. de minor.* His igitur rationibus Prætor motus tutelam minorum suscepit, publicam iis deberi ratus (quod & Constantinus profiteretur in l. 19. *C. Th. de decurion.*) atque ideo auxilium eis Edicto suo pollicitus est, & adversus captiones opitulationem Pulchre Cassiodorus l. 4. var. form. 35. *Consulto provid. decrevit antiquias, minores contractus liberos non habere, ut & insidiantur, laquei frustrarentur, & lapsis etas lubrica subveniret. Ob-*

pueretur quippe innocentia, si relaxaretur audacia, effe-  
 que cunctis fallendi studium, si fraus subreptitum lucrare-  
 tur effectum. Merito igitur Ulp. Præorem in hoc edicto  
 naturalem æquitatem ait secutum in d. l. i. cui minime ob-  
 loquitur Grotius, quando beneficia, quæ minoribus con-  
 sulunt, ex jure civili descendere affirmat l. 3. de J. B. & P.  
 cap. 23. §. 3. (ut putat Zieglerus in nos. nec sine ratione, si  
 cum Cl. Noodtio de paet. & transact. cap. i. naturalem æqui-  
 tam. apud Ulp. in d. l. & alibi interpretetur ipsum jus  
 naturale) etenim omnino hic & alibi servanda est distinc-  
 tio inter jus naturæ & æquitatem naturalem, atque ita nulla  
 hic erit difficultas. Nam si merum jus naturæ spectemus,  
 minor (scilicet actum rei intelligens, de quo tantum loqui-  
 tur Grotius) qui v. e. cum alio contraxit, valide obligatur  
 ex fide dictorum, licet forte simplicitate sua & lubrico æ-  
 tatis fuerit caprus: nam debuerat cautius negotiari, & sibi  
 imputer, quod alterius prudentioris consilio non fuerit u-  
 sus; modo tamen dolo non sit circumventus, qui contra-  
 dictum eriam naturaliter vitiat. Hinc aperte satis liquet,  
 Legem Lætoriam circumscripsit minoribus succurrentem  
 in terminis naturalibus substitisse: Prætoris vero edictum,  
 quod minorem, qui serio contraxit, sed fragilitate consi-  
 lii caprus est, in integrum restituit, naturalem simplicita-  
 tem a Lætorio hic retentam supergressum, adeoque Juris  
 eff. civilis seu positivi. Neque alia mens est Grotii d. l. At  
 securi nunquam conduntur leges civiles, nisi suadente æqui-  
 taris naturalis vel civilis ratione, ita licet beneficia illa seu  
 iura singulare jure prætorio minoribus concessa non di-  
 recte proficiant ex dictato rationis, atramen illa jure posi-  
 tivo introduci æquitas naturalis, quæ ex supra dictis clare  
 elucet, non obscure suadeba; ut adeo Ulp. quoque hoc  
 Prætoris Edictum ad æquitatem ejus naturali non immerito  
 commendet, add. Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. l. 3. cap.  
 6. §. 5.

## VI.

Ait autem Prætor in Edicto, se animadversum, si quid gestum sit cum maiore l. 1. de minor. quod explicat Ulp. l. 7. eod. non igitur si deliquerit minor, Prætor ipse subvenit. v. l. 9. §. 3. eod. l. 7. C. de pæn. Ratio est, quia malorum mores infirmitas animi non excusat, l. 1. C. si adversus delict. nec etatis excusatio esse debet adversus præcepta legum ei, qui dum leges invocat, contra eas committit, inquit Tryphoninus in l. 37. inf. de minor. & hic utique verum est, quod malitia supplet etatem, ut Imperatores ajunt in l. 3. c. min. se maj. dix. Quod tamen intelligendum non est de eo delictorum genere, quæ non ex animo, sed extra veniunt, ut loquitur l. 1. C. si adv. delict. & adversus jus civile committuntur, cuius ignorantia minori non imputatur, l. 9. pr. de jur. & fact. ignor. in his enim etati minori subveniuntur, ignorescitur, & poena remittitur Exempla v. in l. 38. §. 4. & 7. ad l. Jul. de adult. l. ult. §. 9. de publ. & vectig. l. 5. §. 9. de his quib. ut ind. auf. l. 6. C. eod. l. pen. C. ex quib. cons. inf. irrog. l. 4. C. de incest. nupt. l. 3. C. Tb. ad SC. Claud. & pas. sim. Atque huc pertinet l. 108. de R. J. ibi enim etatis applicatione pupillaris etas non significatur, uti Cujacius explicat l. 6. obser. 3. eumque secutus Wissenbach ad d. l. verum sicuti in l. 16. §. 3. de pæn. & l. 6. ad l. Jul. pecul. ita & hic etatis vocabulo adolescentia seu etas minor virginis quinque annis accipienda est, quemadmodum latius ostendit Jacobus Gothofredus in comm. ad d. l. 108. Quod itaque in l. 9. §. 2. de minor. in delictis minoribus non subveniri dicitur, illud accipiendo est de criminibus Jure naturæ vetitis, quæque ex animi destinatione admittuntur, in his quippe minori etati nullo modo succurrunt aut ignorescitur. Paul. l. 1. R. S. tit. 9. §. 1. l. 36. ad L. Jul. de adult. l. 6. C. ad l. Cornel. de sicar. quod variis de parricidio, homicidio in via publica admisso, & crimine nefando præjudiciis firmavit Jac. Gothofr. a. l. sic tamen, ut interdum, maxime in levioribus milie-

miseratio ætatis judicem ad mitiorem poenam permovere possit, l. 37. §. 1. de minor. l. 16. §. 3. de paen. Quod an non etiam in Christianis puniendis locum obtinere deberet, valde laboravit Plinius, & hac propter Trajanum Imperatorem consuluit in memorabili epist. 97. l. 10. ubi ita scribit: *Nec mediocriter bestitavi, sine aliquod discrimen etarum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant.* Ceterum recte mihi sentire videntur Antonius Matthæus de Crim. ad Tit. de paen. cap. 4. n. 21. aliique, qui multum hac in re arbitrio prudentis judicis tribuendum esse putant. Atque haec de juribus minorum delibasse sufficiat. Disputationis itaque series nos ducit ad ætatem legitimam seu maiorem viginti quinque annis: ad cuius explicationem me confero.

CAP VT V.  
DE ÆTATE LEGITIMA VIGINTI  
QVINQUE ANNORVM.

§. I.

**I**d quidem natura est constitutum, ut homines singuli ad quendam perfectionis gradum tam quoad animum, quam quoad corpus aliquando perveniant, ita ut ab eo tempore se ipsos aliquali prudentia gubernare, & bona sua proprio Marte administrare possint. At vero lex naturalis illam animi perfectionem certo annorum numero haud adstrinxit; pro vario enim populorum genio ac temperamento, pro diversitate cœli solique, prout etiam in una eademque regione hos uberioris, illos parcus animi ingenique bonis ornavit sumimus suctor naturæ, ita quoque alias celerius, alias tardius ad perfectionem perduci videmus. Mirum itaque non est terminos minoris ætatis apud diversos populos tam divergos deprehendi: nam alii annus vigesimus

K

ter-

tertius. aliis vigesimus, aliis decimus octavus placuit olim.  
 v. Philostr. Vit. Apoll. l. 2. c. 30. Censorin. de die Nat. cap.  
 14. S. Petit. l. 3. observ. 3. & Cl. Otto ad pr. I. de Curat. &  
 ad Puffendorf de offic. l. 1. cap. 9. §. 11. Hodie quoque mul-  
 tis modis ea in re variatur, ut apud Celeb. Voet. ad tit. D.  
 de minor. thes. 2. ibique alleg. videri potest. Romani at-  
 tem viginti quinque annorum, ut legitimam perficcamque  
 definiverunt; id quod antiquis jam temporibus. Lex Læ-  
 toria inductum fuisse eleganter obseruavit Brissonius l. 3.  
 select. antiqu. cap. 2. eamque opinionem multi alii erudit  
 viri probarunt. Hac quippe lex tota de minoribus scripta  
 fuit, ut patet ex ejus capitibus supra relatis, & Plautus in  
 Pseudolo act. 1. scen. 3. vs. 69. eam vocavit *quinam vicen-  
 riam*, forte a primo ejus capite, uti & alia leges a primis  
 capitibus denominantur. Sane si non lege expressum fuit,  
 ex sententia certe arreptum, ut adolescentes tum denum  
 maiores censerentur, cum ad vigesimum quintum annum  
 pervenissent, qua de re omnem dubitationem eximiit l. 2.  
 C. Theod. de donat. ubi qui legitimam compleverit atatem,  
 annos Legis Lætoriae egressus dicitur, ut aeo anni L. Læ-  
 toriae significant annos minorenitatis, non (ut Cl. Heinec-  
 cius explicat ad L. Jul. & Pop. l. 2. cap. 1. §. 1.) *majore-  
 nitis*: nam auni Legis Lætoriae in d. h. legitimæ ætati ieu-  
 majorenitati opponuntur. Merito autem jus nostrum hic  
 non distinxit inter mares & feminas; licet enim feminæ  
 biennio certius ex privilegio jus legitimæ ætatis & admini-  
 strandi patrimonii gratiam petere & impetrare possint, nil  
 tamen causa fuit, eur jure communī & invita citius quam  
 mares beneficio restitutioonis in integrum & auxilio Praetor-  
 ii fraudarentur; qua mihi ratio juris certi & explorati fa-  
 tis sufficiens videatur: nam talium nequidem Veteres JCii  
 de fiduc. tut. ita ut frustra ea de re tam anxie sollicitus sit  
 Bachovius ad pr. I. de curat. causam enim peroravit Cl. Or-  
 to Praef. ad Insti. cum multis ibi laudacis.

Videtur autem Lætorius in hoc ætatis termino conti-  
nuendo fecutus Hippocratem, qui auctore Galeno ætatem  
vixi quinque annorum sensisse esse puberratis finem, dum  
scit. 5. aphor. 7. ait comitiales morbos accidentes ante pu-  
bertatem ætatis mutatione sanari, accidentes vero post an-  
num vigesimum quintum non item. Vel etiam, quod val-  
de probabile est, Lætorius ideo potissimum elegit annum  
vigesimum quintum, quia vulgo Romani longissimum hu-  
mana viræ spatiū centum annis circumscribabant. v. l. 56.  
d. usfr. Senec. de brevit. vite cap. 3. & Censorin. de die  
Nat. 17. Ejus ergo primum quadrantem adolescentię seu  
minorenitatem tribuebat Lætorius, & hinc eandem anno æ-  
tatis vigesimo quinto finiri existimabat. v. Heineccius ad  
Vinn. pr. I. d. curat. Cererum recte Bachovius ad eundem  
§. ait, juris positivi esse, quod Romani anno vigesimo qui-  
to præcise minorenitatem terminaverint, ut ex iis que in  
pr. hujus cap. dixi satis liquet; etenim si natura hoc ita in-  
ter omnes homines constituit, quomodo potuerunt gentes  
tantopere ea in re variare. Quamquam nec Vinnius male  
sentiat, quatenus hæc perfecta ætatis definitio proxime ad  
naturæ consuetudinem accedit; namque Philosophi tradunt,  
hac ætate, qua corpus crescere definit, etiam animum ad  
summum perfectiones gradum pervenire, eaque denum æ-  
tate evidenter vigoris animi & constantiæ mentis vestigia  
emergere, conquietcente scilicet illa humorum ac corpo-  
ris continua agitacione ac perturbatione, cui adolescentes  
sunt obnoxii, prout differit Magir. 6. Physiol. cap. 5. §. 11.  
Hinc noster Ulp. post hoc tempus, ait, virilem vigorem com-  
pleri constat, in l. 1. de minor. Hinc legitima ætas dicitur  
firmare consilia in l. ult. §. 1. C. d. seni. paff. & restit. & Græ-  
cis appellatur ἀρετη, quique eam attigerunt ad statum suum  
perennisse dicuntur, l. 77. §. 14. de leg. 2. quamobrem &  
perfecta, plena, robusta passim in libris nostris vocatur. v.

Briffonius de V. S. & denique (nam ab hac aetate incipit juvenus secundum l. 6. de leg. 3.) firmissime ac robustissime juventutis nomine venit in l. un. C. Thed. de his qui vena-  
et. imp. vid. Cujac. ad l. 1. de minor. Hanc itaque aeta-  
tem qui ingressus est, jam non amplius jure singulari gau-  
det, nec Praetor posthac ei succurrit, sed communis omnium  
civium jure incipit uti, & bonorum administrationem a cu-  
ratore recipit, sive, uti eleganter loquitur l. 4. C. Th. de admini-  
tut. integro mox patrimonio restituitur. Inde quoque Romani  
liberos suos hac saltet aetate emancipare solebant, ut pote-  
sicerent, quod testatur Constantinus in l. 2. C. Th. de bon.  
matern. ait enim, aetas legitimas liberorum parentes ad  
emancipationem invitasse, eosque tunc liberos suos patres  
fam. videre voluisse, ut nempe novam familiam a singulis  
liberis constitui videntes exinde sibi polliceri possent me-  
moria diuturnitatem ac propagationem. Plin. l. 8. epist. 10.  
cujus desiderium homini natura institutum esse pulchre docet  
Callistratus in l. 220. §. 3. de V. S. & pluribus illustrat Cl.  
Otto Jurisprud. Symbol. exercit. 3. cap. 1. Præterea ipsa  
quoque naturalis ratio Romanis suggestit & suavit, ut libe-  
ros maiores factos emanciparent, quandoquidem educati-  
tione obtenta & filio perfectæ aetatis constituto atque e-  
familia paterna excedente patria potestas naturaliter solva-  
tur. v. Grotius l. 2. cap. 5. §. 6. ut tamen semper maneat  
reverentia & pietas sacris parentum nominibus debita, quip-  
pe cuius causa perpetua est. v. l. 9. de obseq. parent. & patr.  
præst. l. 1. C. Th. de bon. matern. & Pufendorf. de Jur. N.  
v. G. l. 6. cap. 2. §. 10.

## III.

Hæc autem perfectæ aetatis definitio ad alia quoque  
pertinet. Nam Ulpianus in l. 8. de muner. & honor. Ad  
Rem publicam administrandam, inquit, ante vigesimum quin-  
tum

tum annum, vel ad munera, quæ non patrimonii sunt, vel  
 honores, admitti minores non oportet. Quæ tamen verba  
 ita intelligenda videntur, ut non tam contineant regulam  
 juris constituti, quam prudens monitum, quænam actas in  
 talibus spectari deberet: etenim non dicit JCtus ad mune-  
 ra vel honores minores non admitti, sed illud non opor-  
 tere. Quo senti si hæc lex accipiat, nil opus erit, ut cum  
 Gilb. Regio l. i. Enantioph. cap. 30, de eadem cum aliis qui-  
 busdam in concordiam redigenda laboremus. Age vero  
 paucis dilquiramus, quatenus normam in d. l. & de min. &  
 bon. bene positam Romani fuerint secuti, & quidem pri-  
 mo diligiamus de munib[us], quæ non patrimonii sunt,  
 quorum tamen duas tantum lustrabimus species, ad nos  
 maxime pertinentes, tutelam & curam nempe, atque ju-  
 dicandi munus; hæc enim munera personalia esse constat  
 ex l. i. §. 4. & l. 18. §. 1. & 14. eod. tit. Quod ad primam spe-  
 ciem attrinet, ex Lege XII. Tabb. paterfam. tutores cuiuscun-  
 que actatis testamento dare poterat, & legitima quoque tute-  
 la ad eum, ad quem herediras, adeoque etiam ad minores,  
 immo pupilos ipso jure perveniebat. Sed JCti incivile duce-  
 bant eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis indi-  
 gent, aliorum tutelam vel etiam curam subire, ideoque non  
 tantum minorem viginti quinque annis tutorem vel cura-  
 torem dari noluerunt a magistratu, sed legem quoque De-  
 cemviralem, quam directe infringere non poterant, inter-  
 pretatione coarguuntur, l. 120. de V. S. ac minores testa-  
 mento vel lege datos ad tutelam actu administrandam an-  
 te legitimam actatem non admiserunt. v. l. 32. §. 1. de refl. tut.  
 & l. 10. §. 7. de excusat. ubi, quod in transcurſu dicam, Latini  
 nus interpres ter erronee impubes scriptit pro minor, uti  
 notat Augustinus ad Modestinum Tom. 4. Thes. Jur. Rom. p.  
 1523. Fuit is autem Joh. Burgundio, non Bulgarus, ut alii,  
 adversus quos nuper Cl. Otto disputavit de Ædil. colon. cap.  
 6. §. 3. Justinianus autem non quidem coarctavit latifi-  
 mam

man potestem patrifamil. concessam, at minores (pariter ac olim feminas l. 73, de R. J.) ad legitimam tutelam nec vocari voluit, l. ult. C. de legit. tut. Ad quam Tribonianum inflexisse responfa veterum in l. 16. §. i. de tutel. l. 4. & 8. de leg. tutor. l. 9. §. i. de tut. & rat. distrab. l. i. pr. de fidejuss. tut. atque ibidem verba perfecte etatis inferuisse existimant Cujacius ad tit. I. de fiduc. tut. Jacobus Gothofredus ad l. 73. pr. de R. J. Wissenbach. in Emblem. Tribon. altique. Et profecto non video, quid ad opinionem hanc diluendam faciat, quod jam olim Lege Latoria definita fuerit ~~at~~ <sup>et</sup> perfectas. Verum quidem est, minore vel pupillo ipso jure ad tutelam legitimam vocato, potestatem administrandi fuisse in pendent, donec perfectam ~~at~~ etatem Lege Latoria definitam complevisset (uti jam dictum) qualis casus est in l. 10. §. 7. de excusat. Sed non possunt textus illi cum Bachovio ad §. 13. I. de excusat. in hunc sensum explicari, siquidem Gajus in d. l. 16. §. i. de tut. simpliciter docet, nullam tutelam ad heredes transfire, nisi quod legitima ad liberos virilis sexus tanquam proximos agnatos ipso jure descendat, adeoque non de tutela actu administranda, sed ipso jure deferenda tantum loquitur, in quo utique ~~at~~ etas non attendebatur. Neque aliter intelligi posse videntur l. 4. & 8. de leg. tut. aliud enim est, tutelam ad liberos perfecte etatis descendere, eos tutores effici, tutores esse, uti loquantur d. l. 16. d. l. 4. & 8. quod non nisi de tutela ipso jure deferenda accipi potest: aliud autem est, minorem, si sit legitimus tutor, interim non offici molestia & tutela post legitimam demum ~~at~~ etatem onerari, uti dicitur in l. 10. §. 7. de excusat. & l. 32. inf. de testam. tut. Praterea illud etiam ad l. 4. de leg. tut. notari velim, primam partem tit. I. de fiduc. tut. quæ tamen defuncta ex l. 3. §. ult. & d. l. 4. de leg. tut. non habere verba illa perfecte etatis; sed Iustinianus perfectam ~~at~~ etatem demum exigit in fine tit. atque illud a sua Constitutione esse ait; id quod sane verisimile admo.

admodum præbet indicium, verba perfectæ etatis Modestino in d. l. 4. adjecta esse: nam alias Imperator hic sive Constitutioni adscripsit, quod a Modestino delatumserat. Ceterum non puto opus esse, ut eriam l. g. §. 1. de tut. & rat. affr. & l. i. pr. de fidej. tut. interpolatas dicamus: nam Ulp. in d. l. g. §. 1. non requirit, ut qui ad tutelam legitimam ipso jure vocatur, sit perfectæ etatis, verum facti species, quem proponit, agitabat, ut supponeret, fratrem legitimum tutorem perfectæ etatis constitutum, adeoque ad tutelam actu administrandam idoneum, quis alias a magistratu datum tutor esse non desineret, nec actioni tutelli locus esset, quo tendebat JCtus. Denique l. i. de fidefid. tut. non agit de tute legitulo, sed in genere de tutoris herede loquitur, quem mirum non est negotia defuncti tum demum explicare debere, si sit legitima etatis, cum ipse tutor, quamdiu minor esset, tutelam non gereret.

## IV.

Satis de etate tutorum. Sequitur, ut videamus de etate Judicium, quæ qualis fuerit, non est juris usque adeo explorari. Olim non videntur judices lecti esse, nisi ab anno etatis vigesimo quinto, atque ita servata regula ab Ulp. in d. l. 8. de mun. & bon. tradita, donec Augustus auctore Sueton. l. 2. cap. 32. judices a vigesimo etatis anno, id est quinquennio maturius quam solebant allegit: ita enim legendum esse non trigesimo dudum observarunt Cujacius l. 21. obfero. 32. eumque lectoris Calaubonus ad dict. loc. quam emendationem firmat l. 41. de recept. qui arb. recep. ubi Calauratus significat Lege Julia eum, qui minor non sit virginis annis, judicandi necessitate obstringi; unde eriam id unum ex capiibus legis Juliae privatorum judiciorum suisse notat Brissoni l. 4. select. antig. cap. 7. Quamdiu autem jus illud steterit, & nominem quid hac in re tempore JCtorum, quorum responsa in Pandectas sunt relata, obtinuerit, haud facile est definire, quia ordine judiciorio sub

sub Imperatoribus Byzantinis mutato, & more dandorum  
judicum pedaneorum sensim exolecente, Architecti juris  
Justinianei illa veterum scripta, unde hoc clarius discere  
potuissimus, Digestis non inferuerunt. Hinc aliter atque  
aliter in hujus rei explicatione verlantur interpretes. vid.  
Wissenbach ad tit. de judic. §. 12. ibique cit. Mihi maxime  
arridet Cl. Huberi sententia in Praelect. ad eundem tit. n.  
6. existimantis LegisJulia majorum viginti annis necessitate  
judicandi adstringentis usum hac parte non fuisse viri-  
dem, sed rediisse forum ad ius, quod ante viguerat, ut  
judices a vigefino quinto etatis anno legerentur propter l.  
57. de re judic. ubi quidam consulebat, an valeret sententia  
a minore viginti quinque annis judice data? & Ulp. re-  
spondet, *equissimum esse tueri sententiam ab eo dictam.*  
Quæ verba significare videntur, summo jure sententiam  
a minore viginti quinque annis latam nullius esse mo-  
menti, quia scilicet minor judex esse non potuerit, verum  
tamen tum propter utilitatem litigatorum, tum propter  
auctoritatem rerum judicatarum, ejusque, qui minorem  
judicem dedit, sententiam ab eo latam ex bono & equo  
tuendam ac sustinendam (v. l. 3. de offic. Preter.) quod tamen  
ita limitat Ulp. nisi minor decim & octo annis fuerit; hic  
enim nullo plane modo judicare aut sententiam ferre po-  
test, eoque perperam Donellus putat, hujus quoque sen-  
tentiam tuendam esse, si litigatores sciant eum minorem esse  
octodecim annis, & tamen in ipsum consentianr. l. 17. comm.  
cap. 24. nam JCtus id affirmat non de minore octodecim  
annis, sed de minore simpliciter dicto, qua appellatione mi-  
norem viginti quinque annis perpetuo intelligentem esse  
tralatitudinem est. Atque hanc explicationem etiam firmant  
l. 1. & 2. C. qui etat. se excus. nec non Basilica l. 7. tit. 5.  
& Harmenopulus l. 1. tit. 4.

V.

Hæc sufficiant ad illustrationem regulæ ex l. 8. de mun.

Et hon. supra proposita, quatenus statuit, minores ad munera personalia admitti non oportere. Nunc videamus, quatenus eadem norma in honoribus, & magistratibus obtinuerit. Et si autem d. l. 8. proprie pertinet ad municipia, regula tamen ad omnes honores & magistratus etiam urbanos utiliter aptari potest. Et quidem cum Senatus supremum Reipublica consilium & veluti seminarium quodcum fuerit magistratum, opera pretium erit, ut quenam fuerit aetas senatoria, praemittamus; certam etenim aetatem in Senatorie legendo etiam servatam satis colligi potest ex eo, quod Senatoriae aetas diserte meminerunt Tacitus l. 15. annal. 28. Cicero pro L. Manil. 21. Gellius l. 14. cap. 8. At quenam haec aetas fuerit, in tenebris antiquitatis liquido non constat. Illud quidem satis certum est, Romanum cum Senatum institueret, non nisi jam lenes in hunc ordinem allegisse. v. Florus l. 1. cap. 1. Aurel. Victor. de Vir. illuftr. cap. 2. & Fer. Adduenfis l. 1. explicat. Tom. 2. Thes. Fur. Rom. p. 513. sed postea ab hoc instituto recessum. v. Ovidius l. 5. Fast. v. 63. Verisimillima tamen videtur Lipsii sententia de magist. cap. 6. & ad Tacit. d. l. Senatoriam, aetatem explicantis annum vigesimum quintum; nam Dio Cassius l. 52. Macenarem inducit ita Augustum allocutorem: in Senatum allegendi annos viginti quinque habere debent: quomodo enim non sit turpe ac damnosum, cum nemini ante id aetas suorum bonorum administrationem concedatis, qui eam nondum attigerint, Rerpublicam vos credere? qua tota oratio accommodata haud dubie ad formam Reip. Augustae: nam & Alex. ab Alexandro genial. dier. l. 4. c. II. scribit Augustum edicto cavisse, in Senatum quempiam admitti non licere, nisi exacto quarto & vigefimo aetatis anno, adeoque inchoato vigefimo quinto, qui in honoribus pro completo habetur auctore Ulp. in laud. l. 8. Id quod Severi tempore adhuc obtinebat, l. 2. D. de minor. Merito, igitur Fer. Adduenfis l. 1. explicat. Tom. 2. Thes. p.

537. exploit quorundam correctionem in l. 15. §. 3. de ex-  
cus. Ieo Senatoris legentium Senatores, atque inde con-  
cludentium, pupilos quoque Senatores esse poruisse, quam  
lectionem vel sola Pandectæ Florentinæ, in quibus h. l. ut-  
pote Modestini Græce scripta habetur, satis refellunt. Hæc  
de ætate Senatoria. Quod ad ætatem vero Magistratum  
attinet, antiquissimis temporibus certis annis alligata non  
erat honorum petatio, unde Tacitus l. II. annal. 22. Apud  
majores, inquit, virtutis id præmium fuerat, cunctisque ci-  
vium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus:  
ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa Con-  
sulatum ac Dictaturas inirent. Scilicet simplices atque  
agrestes tunc temporis adhuc Romani honores non valde  
appetebant, quin multi adeo ab ambitu erant sepositi, ut sa-  
pe ab agris colendis ad Reipublicæ gubernacula capessenda  
arcesserentur, qui rogati recedebant, & invitati honores el-  
fugiebant. v. Cicer. de Senect. 16.

- - - Docuit toties a rure profectus

Lictor, & in mediis Consul questus aratri,

uti cecinat Claudio de Consul. Mall. v. 8. Post a vero le-  
ges annales attulit ambitio, ut gradus petitionis essent inter  
æquales, ut Cicero testatur Philipp. 5. cap. 17.

- - - finitaque certis

Legibus est ætas, unde petatur bonus.

Ovidius ait l. 5. Fast. 6. Et quidem primum ea de re sol-  
licitus fuit L. Vilius Trib. Pl. qui rogationem tulit, quot  
annos nati quinque magistratum peterent caperentque, au-  
store Livio l. 40. cap. 43. quamquam Pighius in not. alii-  
que viri docti plures de tempore magistratum leges ante  
hanc latas fuisse existiment, quod ego non inquirō. Cer-  
te hic locus minime ita est espiendus, quasi vero ante Vil-  
lii rogationem promiscue nulla ætatis ratione habita etiam  
adolescentibus Reip. administratio & supremi magistratus  
fue-

fuerint commissi; id enim a gravitate veterum Romanorum nimis abhorret, sed usi servatum fuisse opinor, ut non temere ante majorem etatem aliquis honorum particeps fieri potuerit. Quo referendum, quod idem Livius *L. 25.* c. 2. de P. Scipione multis ante L. Villiam annis narrat, ipsi adiutarem petenti obstatissimis Tribunos Pl. eo quod nondum legitima ad petendum etas esset: cum enim Scipio tum vix viginti duorum annorum esset adolescentis (ut notat Cl. Heinecc. ad *L. Jul. & Pap. L. 2. c. 7. §. 3.*) per legitimam ad petendum etatem Trib. pl. majorenitatem intellexissevidetur. Eodem sensu accipiendus est Tacitus loc. alleg. illud enim tantum significare voluit, cum ex legibus annalibus in magistratibus observari debeat discriminem etatum, ita ut v. c. tot anni ad Praetoram, plures ad Consulatum requirantur, olim aliter fuisse comparatum, nec tale etatum discriminem attentum, sed vel supremos magistratus gerere potuisse cives, simulac ad Reip. administrationem habiles fieren, ferme licet post majorem etatem, seu ut Tacitus effert, *prima iuventu*. Quot autem annos leges annales singulis magistratibus praestituerint, veteres scriptores memoriae non prodiderunt, neque etiam hic ea de re sigillatim agendi locus est. Adiri possunt de hoc arguento latius ac diversimode differentes Lipsius de magistr. cap. 5. Manutius de Legib. cap. 6. Dodwel. ad Spartan. praef. 12. n. 2. & seqq. aliisque.

## VI.

Ne tamen plane asymboli simus, non abs re erit, sicut vidimus, maiores demum viginti quinque annis iter ad honores ingressos, ita quoque etatem, qua supremus Magistratus, qui Claudio vocatur *portus honorum*, Consulatus amirum geri poruit, paulisper contemplari, maxime cum id multis legibus lucem adferre possit. Fuisse autem huic magistratu petendo legibus annalibus praestitutum annum qua-

dragelimum tertium satis certum est ex Cicer. Philipp. 5.  
cap. 17. qui & rationem hujus juris indicat his verbis: *Le-*  
*gibus annalibus*, ait, *cum grandiorem etatem ad Consula-*  
*tum constituebant*, adolescentie temeritatem verbabantur.  
Seilicet gravis iam aetas exigenda videbatur, ut quis omni-  
um honorum culmen & fastigium ascendere posset, uti  
Consulatus passim vocatur in libris nostris, & apud alios  
auctores, quos magno numero laudavit Iac. Gothofredus  
Tom. 2. C. Theod. p. 73. Fuerunt tamen etiam sub libera Re-  
publica quidam ob editi maturae virtutis specimina hac par-  
te legibus soluti, quorum plures admodum adolescentes  
Contules factos recenset Cicero d.l. & pro ratione addit, ab  
excellenti eximiaque virtute progressum etatis expectari non  
oportere. Similiter Valerianus ap. Vopite. in Prob. cap.  
5. in eo non expectari etatem ait, qui & virtutibus fulget,  
& moribus polleat. Hinc Cicero causa in servis inde ma-  
teriam laudandi & commendandi Pompejum eripuit, quod  
ex SCto legibus solitus Consul ante fuerit factus, quam ul-  
lum alium magistratum per leges capere licuisset pro L. Ma-  
wil. cap. 21. qua de re tamen aliter ratiocinatur Seneca, id-  
que in odium Pompeji retorquer, l. 5. de benef. cap. 16. At  
porro jam sub initio occupata Reip. novo more Caius &  
Lucius Augusti nepotes ex mera adulacione, neendum pue-  
rili posita pretesta, Confules designati, ut magistratum  
post quinquennium inirent, quod tradit Tacitus l. 1. annal.  
cap. 3. & elegans inscriptio ap. Gruterum p. 231. Taceo,  
quod ipse Augustus anno vigesimo Consulatum adeptus  
fuerit; id enim factum per vim & renidente Senatu teste  
Suet. Aug. 26. vid. qui pluribus hoc explicat Norifius ad  
Cenotaphia Pisana Difserit. 2. cap. 2. Potiori ratione a legibus  
annualibus aliiquid remisit Lex Papia Poppaea ob numerum  
liberorum: namque inter alia πολυπαιδίας præmia sancivit,  
ut singuli anni per singulos liberos demitterentur. Hinc  
quum nemo Consulatum petere posset, nisi qui haberet  
an

annos quadraginta tres, ille qui trium liberorum pater erat, anno quadragesimo Consul fieri poterat, quod L. Pa-pia caput servavit Ulp. in l. 2. de minor. idque copiole ex-plicant Jac. Gothofredus ad L. Jul. de marit. ord. Tom. 3<sup>o</sup> Thes. Jur. Rom. p. 215. & Heiniccius ad L. Jul. & Pap. l. 2. c. 7. §. 3. Sed Interatores firmata jam Monarchia liberius de magistratibus disponebant, annosque legibus annualibus praescriptos pro lubitu remittebant non tantum in Praetura aliisque minoribus magistratibus. v. Plin. l. 7. epist. 16. sed etiam in Consularu. Lamprid. in Comm. cap. 2. ita ut Consules minores viginti quinque, imo viginti annis passim in P. nuncius memorentur, & Jac. ea de re loquuntur, tanquam de eo quod moris jurisque est. v. l. 57. dere judic. l. un. §. 2. de offic. Cons. l. 20. §. ult. de man. vind. Imo Principes By-zantini, secuta legum ac magistratum vicissitudine, o-nem etatis rationem insuper habuerunt. Ita Probius & Olybrius ambo Consules creati fuerunt.

*Ante genas dulces quam flos juvenilis in umbret,  
Oraque ridenti lanagine vestiat etas.*

ut cecinir Claudio. de Consul. Prob. & Olyb. v. 60. Putas quidem Cujacius l. 17. obser. 34. exactam semper fuisse plenam pubertatem octodecim annorum propter l. 57. de re judic. & l. 19. C. Th. de decurion. Verum quod in d. l. 57. di- eatur de octodecim annis, id perinet ad judices pedaneos; Lex autem 19. C. Th. loquitur de Decurionibus in Pro-vinciis, minime vero de Magistratibus Majoribus. Pra-terea Cujacio aperte refrigeratur l. 1. C. Theod. de Prator. & Questor. unde discimus, iam tempore Constantini Magni, (ejus enim est hec lex) Consules, Pratores, Questores creari solitos minores sedecim annis v. Jac. Gothofr. in comm. tom. 2. p. 34. Quin denique eo perveratum fuit, ut pueros paucorum annorum Consules creari indignum non fuerit vixum, ut patet ex plurimis Codicis Theod. & Ju-

Rit. legibus, in quārum subscriptione Nobilissimi pueri  
 Consules fuisse leguntur. Ita Gratianus N. P. cum Daga-  
 laipho Centul fuit l. 9. C. Tb. de accus. & inscr. l. 6. C. Tb.  
 ad S. C. Claud. l. 11. & 12. C. Tb. de suscep. Valentianus  
 N. P. cum Victore l. 2. C. de fruct. & lit. exp. l. 8. C. de  
 Profess. & Med. l. 10. C. Tb. de veter. & Honorius N. P.  
 cum Evodio l. 14. C. de relig. & sumt. fun. l. 1. C. de prox.  
 sacr. scrib. l. 16. C. Tb. de accus. & inscript. & alibi. Scio  
 equidem Donellum l. 17. comm. cap. 24. hanc Nobilissimi  
 pueri denominationem ita explicare, quis non aliud signi-  
 fieret quam successorem imperio destinatum. At hoc ita  
 simpliciter verum non est: nam dicebatur quidem Nobilis-  
 simus qui sperabat aliquando se futurum Cæsarem & Augu-  
 stum (uti tres hosce titulos a temporibus Constantini M.  
 distinctos fuisse pluribus ostendunt Triviorius obser. apo-  
 log. cap. 10. & Du Fresne Glossar. Latin. Voc. Nobilissimus.  
 add. Jac. Gothofr. ad l. 21. C. Tb. de lusfr. collat.) verum  
 quod Nobilissimi issi etiam pueri appellantur, id haud du-  
 bie aratem eorum puerilem indicat, siquidem Gratianus  
 anno aratis septimo, Valentianus vero & Honorius anno  
 xixii secundo Consules fuerunt, uti notat Triviorius l. d.  
 Rem. rotam conficit insignis locus Amin. Marcellini l. 25.  
 cap. ult. ubi exemplum est Consulis in cunis adhuc politi;  
 narrat enim, Imperatorem Jovianum Consulatum iniisse  
 una cum filio suo Varronianio adhuc tam parvulo, ut va-  
 gitu suo reluctaretur, ne in sella curuli ex more veheretur.  
 Atque ita Consulum fasces ac secures orbi quandam for-  
 midatae, tandem pueris pralatae risui esse debuerunt anti-  
 quiora reputantibus. Ne tamen id tantopere mirum vi-  
 deatur, cogitemus, Nobilissimos illos pueros non fuisse pri-  
 vatos homines, sed Principes Imperatoria stirpis & iplo-  
 rum Augustorum filios, quos cum possent Imperatores ad-  
 huc parvulos & a matre rubentes Augustos renunciare, uti  
 etiam eos fecisse exemplis monstravit Reinesius Var. Let.  
 l. 2.

*l. 2. cap. 15.* quidni potuerunt eosdem summo hoc magistratu condecorare, ut nomen futuri Principis mature subditis per universum imperium innotesceret, quia per Consulum nomina anni notabantur? maxime cum hoc anno Consulatus fere esset tantum splendida veteris potestatis umbra, & nudus honoris titulus, cui nulla pacis aut belli munia amplius erant conjuncta, ut proinde facile ab infantibus ex Imperatoria familia hic honos geri potuerit; similiter fere ac hodie in quibusdam Regnis munera alicuius primarii titulus Regii sanguinis Principi deferri solet.

## VII.

Hac de ætate Senatorum & Magistratum urbanorum. In municipiis autem & Provinciis quemadmodum cuncta maxime vero magistratus ad imitationem urbis dominantis instituebantur, ut ostendunt Fornerius *l. 1. seleç. cap. 12.* Berterius *Pithon. diatr. 1. cap. 10.* & plenius Celeb. Otto de Adil. *Colon. cap. 2.* sic & in Decurionibus, qui simulacrum & effigiem Senatus Romani referebant, certa ætas iam olim spectabat. Scribit enim Tullius *2. Verr. cap. 49.* C. Claudio adhibitis omnibus Marcellis de eorum sententia leges Halefinis dedisse, in quibus inter alia sanxit de ætate hominum, ne quis minor triginta annis in eorum curiam legeretur, & Plinius *l. 10. epist. 83.* prodidit, Lege Pompeja Bythinis data cautum fuisse, ne quis capiat magistratum neve sit in Senatu minor annorum triginta: deinde vero secutum esse Edictum Augusti, quo permisit, magistratus ab annis duobus & viginti capere, ubi tamen Cujacius *l. 21. observ. 32.* pro duobus & viginti legit quinque & viginti, sed cum Edictum illud ad provincias & proprie ad Bythiniam spectet, cum Lypio in Excurs. ad Taec. *l. 3. annal. cap. 29.* nihil mutandum videtur. Ætas autem triginta annorum L. Pompeja statuta in Senatore seu Decurione legendō tempore Trajanī adhuc servabatur,

batur, uti patet ex Plin. d. epist. 83. & 84. Postea vero etate Papini, Callistrati & Ulpiani atas viginti quinque annorum generaliter in Decurione legendio fuit spectata. v. l. 6. §. 1. & l. 11. de Decurion. l. 8. de munere & honor. l. 1. C. qui & adv. quos in integr. rest. quod etiam stetit sub Diocletiano, l. 2. C. qui accidat. vel profess. se excus. At Constantinus M. in etate Decurionum definienda mire variavit. Primum enim Decurionum filios post annum decimum octavum completerum in curiam allegi voluit, l. 7. C. Theod. de decurion. verumamen quod norandum, non nisi per Provinciam Carthaginem, forte quod Afri magis solentes ac sagaces essent, & citius vegetarentur, ut conjicit Jacobus Gothofredus, ut adeo maturius ad Reipublicam admitti possent. Eodem tamen anno generaliter filios veteranorum post annum etatis decimum lexum curiam sociari jussit, l. 2. C. Tb. de Veteran. ut quidem eam restitut Gothofr. At sexennio eterlapso eisdem anno demum vigefimo quinto decuriones fieri volint, l. 2. C. Tb. de fil. milit. ad quam respexisse videur in l. 18. C. Tb. de decur. triennio post lata, quare probabiliter Jac. Gothofr. pro *triginta quinque* ibidem legit *vigintria quinque*. Post biennium vero, cum minores nimis cito curiis adscriberentur, lanicivit, ut nemo in curiam vocaretur, nisi qui decimum & octavum annum etatis fuerit ingressus, l. 19. eod. & denique anno sequenti sedecim annos completos requisivit l. 4. C. Tb. de fil. milit. quam postea desuetudine forte inumbratam imperiali remedio illuminavit filius ejus Constantinus, l. 35. C. Tb. de decur. vid. Jac. Gothofr. in comm. ad dd. ll. Tandem vero Justinianus prudenterimus Princeps omnibus hisce legibus Constantianis abolis eas Condici suo interi noluit, sed jus illud, quod ante Decurione legendio exigebat, proutulit (quemadmodum recentes leges supra allegata, & in nostrum, quod dicimus, juris Corpus relata) cum Macenate apud Dioneta ratus, qui

annus

quibus bonorum propriorum administratio concedi non  
solet, iisdem reipubl. curam committi non oportere.  
Hoc tamen non nimis amare accipiendum: nam exactio-  
rem hanc etatis observationem ex causa remitti Calli-  
stratus ait in *l. II. de decur.* veluti si sit civium idoneo-  
rum penuria, *l. I. C. qui & adv. quos in int. ref. l. 2. C. qui*  
*etat. vel prof. se excus.* tunc enim, ut Plini. dicit *l. 10. epif.*  
*§3 aliquanto melius est, honestorum hominum liberos, quam e*  
*plebe in curiam admitti.* Quo refero crebras illas Constantini  
mutationes, qui prout necessitas curiarum urgebat, ita nunc  
serius nunc maturius cives in eas vocari voluit. Scilicet ne-  
cessitas multa fieri finit, qua non licent, *l. fin. de le-*  
*git. v. Fornerius l. 5. rer. quotid. cap. 10.* Præterea Prin-  
ceps vi potestatis annos remittere, & minorem viginti  
quinque annis decurionem creare potest motus ejus vultu,  
indole ac dignitate, qua certam spem facit bona frugis, &  
bene gerendi decurionatus, uti *l. pen. §. 1. de decur.* expli-  
cat Cujacius *l. 20. obser. 40.* Minores tamen Decuriones  
creati discendi tantum caula in curiam veniebant, sententi-  
am vero non rogabantur, neque onera municipalia ipsis  
mandari poterant. *v. l. 8. de mun. & hon. l. 6. §. 1. de decur.*  
*l. 21. §. 6. ad municip.* Quo sensu intelligi debet, quod Theo-  
philus ad *§. 2. l. de her.* que ab intest. scribit filios natura-  
les curiæ oblatos decuriones statim factos fuisse, atque ita  
cadit Merillii censura *l. 8. obser. 26.* vid. Celeb. Otto de  
*Ædil. Colon. cap. 5. §. 5.* Neque aliter intelligendum opinor,  
quod in *l. 74. C. Th. de Decur.* statuit, patre decurione  
in Senatorium ordinem cooptato filium ante Senatoriam  
dignitatem suscepsum in curiam loco patris surrogari. Nam  
*l. ult. C. de his qui num. lib. vel paup. excus.* aperte docet ob-  
eundis pro patre muneribus tunc demum filium applicari,  
si sit legitime etatis; qui textus dubitationem omnem tol-  
tere potuisset Vertrianio Mauro ea in re valde hæsitantia *de*  
*Jur. liber. cap. 8.* Hæc sunt, qua occasione *l. 8. de mun. &*  
*hon.*

M

bon. de ætate eorum, qui honores & magistratus gerebantur, dicenda videbantur. Illud addam, quod Sacra Scriptura inter præcipua signa perdite gentis & status infelicitatis recentat, si admodum adolescentes ac pueri habentis Reip. & summa rei admoveantur. v. Jesaiæ cap. 3. v. 4. & 12. 1. Reg. cap. 12. v. 8. Contra Plurarch. an seni sit gerenda Reip. ? c. 19. maxime salvam prædicat civitatem, ubi confusa tenuum, & juvenum arma obtinent. add. Cicer. de Senect. cap. 6. Hinc Latinus Pacatus in Panegyr. Theod. collaudat Veteres Romanos, quod non solum in amplissimis magistratus, sed in Prætoriis quoque & ædilitatibus adipiscendis *etas spectata sit* peritorum, nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiales lege prescriptos festinatis honoribus occupavit. Ab altera parte Cicer. 2. Verr. 49. nulla in re Verrem magis reprehendit, quam quod apud Halefinos pueri annorum senum seprenumve denum senatorium nomen ab eo nundinari sufficiunt. Verum quidquid hujus sit, boni civis est hanc fiduciam in Rectoribus Reip. collocare, ipsos pro sapientia & luce dignitatis indignos non facile ad culmina honorum evecturos. Certe absoluti Principes de judicio suo dispurari nolunt, imo sacrilegii instar existantur, si quis audeat in dubium vocare, an is dignus sit, quem summa potestas elegerit secundum l. 3. C. de crim. sacril. & l. 5. C. de divers. re script. quarum historicam occasionem & verum sensum pulchre eruit Jacobus Gothofredus ad l. 4. C. Theod. de deu nunciat.

## CAPVT VI. DE SENECTVTE.

s. I.

Tandem rerum ordo nos deduxit ad venerandam Senectutem; de qua plura dici possent, sed cum superiora præter spem jam nimis excreverint, atque *etas* senilis uerbi superior.

beriore tractationem mereatur, ego hic substituisse, nisi connexio variarum statum postulasset, ut telam cœptam qualicunque modo pertexerem; dignitas eriam ac reverentia senectuti debita silentio eam prætermittere veraret. Brevis itaque & summis, ut ajunt, digitis hanc quoque ætatem attingamus. Pulchre Callistratus in l. 5. pr. D. de jur. impun. Semper, inquit, in civitate nostra senectus venerabilis fuit. namque Majores nostri pene eundem honorem senioribus, quem magistratibus tribuebant. Cui concinuit Ovidius l. 5. Fast. v. 57.

*Magna fuit quondam capitii reverentia cani,  
Inque suo pretio ruga senilis erat.*

Gellius l. 2. cap. 15. scribit apud antiquissimos Romanorum nec generi, neque pecunia præstantiorem honorem traxi, quam ætati solitum, ita ut majores natu a minoribus colerentur, ad deorum prope & parentum vicem. Hæc autem reverentia inter alia confitebat in assurgendo, loco cedendo, salutando, domo deducendo ac reducendo Cicero de Senect. 18. Val. Max. l. 2. cap. 1. v. Verranius Maurus de jur. liber. cap. 3. & Confl. Landus exercit. Tom. 3. Thes. jur. Rom. p. 1434. Atque hoc regula honesti & decori præcipiunt, ut juniores natu majoribus, a quibus auribus & oculis discebant, qua facienda haberent, ut Plinius ait l. 8. epist. 14. vicissim honorem exhibeant, quod etiam Deus expressi jubet Levit. 19. v. 32. & quarundam gentium legislatores in obligationem perfectam converterunt. Ita legem solonis, qua Senioribus assurgendum esse jussit, observat Pard. Pratejus jurisprud. Vet. Tom. 4. Thes. jur. Rom. p. 437. quam tamen non satis idoneo arguento stabilire videtur. Certiore Gellii testimonio loc. laud. nititur, Lycurgum in legibus suis fancivisse, ut major rerum omnium honos majori ætati haberetur; unde Cicero Lacedæmonie honestissimum domicilium senectutis, eamque nusquam

quam honoratiorem esse dicit. Romæ quoque exempla extitisse, quod juventutis irreverentia gravibus decretis fuerit notata, auctor est Tacitus l. 3, annal. 31. Notum est illud Juvenalis Sat. 13. v. 54.

*Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,  
Si juvenis verulo non assurrexerat.*

Hujus autem reverentie contemplatione multa senibus concessa sunt singularia. Hinc qui atate alios antecedebat ex lege Solonis primus sententiam dicebat. v. Pratejus d. Tom. 4. p. 421. id quod Romæ etiam in collegio augurum obseruantum fuisse Cato ait apud Cicero. de Senect. 18. At l. 1. de abb. scrib. quam huc etiam refert Pratejus, rectius explicasse videtur Menagiis amon. jur. cap. 28. Hinc etiam Lex XII. Fabb. leni, qui pedibus non amplius valet, vehiculum dari jubebat, quod caput adversus Favorinum vindicat Sextus Cacilius apud Gell. l. 20. c. 1. v. Jac. Gorhofredus ad L. XII. Tabb. Tom. 3. Thes. p. 79. Denique senes ataris ratione mitius aliquando puniendi, l. 3. S. 7. ad S. C. Silan. Plin. l. 10. epist. 41. Iisdemque in bello quoque parcendum. Statius l. 5. Thebaid. v. 258.

— — Nullis violabilis armis  
Turba senes.

## II.

Quo autem anno quis ad senectutem perveniat, in iure nostro generaliter definitum non est; quia scilicet non una omnibus senectus est, ut Seneca ait Consul. ad Marc. cap. 20. Certa quidem aetas in excusationibus propter senectutem fuit praefixa, verum non eadem in omnibus attendebatur, sed prudenter Romani ea in re obserabant id, quod Cicero monet l. 1. de offic. 34. senibus nimirum labores corporis minuendos, exercitationes animi autem augendos esse. Hinc citius senectutem excusabant ab illis

muneribus, quae non possunt sine corporis viribus sustine-  
 ri. Cic. de senect. 11. nam annus quinquagesimus a militia  
 remissionem dabat. Senec. de brevit. vita cap. 20. non ta-  
 men a muniberis decurionatus, l. 13. C. de Decurion. hac  
 enim aetate mentis vigorem esse scribit Aristoteles l. 7. po-  
 lit. cap. 6. Sed quia decurionatui multa onera erant con-  
 juncta, hinc anni quinquaginta quinque ab eo excusabant,  
 l. 11. de cur. eoque pertinet l. ult. C. qui atet. vel prof.  
 se excus. uti adverlus Cujacium, Fornerium, Heineccium,  
 textum hunc citra necessitatem corrigentes ostendit Cel.  
 Otto ad §. 13. I. de excusat. Serius autem senectus iis va-  
 cabat muneribus, in quibus animi exercitatione, consilio  
 & prudentia in primis opus est. Hinc Senator usque ad  
 annum sexagesimum vel sexagesimum quintum in curiam  
 citabatur. Senec. l. 1. contr. ult. & alter de brev. vit. C.  
 20. annus autem septuagesimus a tutela alisque muneribus  
 personalibus demum liberabat, l. 3. de jur. immun. cuius  
 diversitatis rationem indicavit Cujacius ad l. 2. D. de excusat.  
 Haec tamen excusationes erant voluntariæ, & per modum be-  
 neficii competitabant; nam maiores quinquaginta quinque ani-  
 nis ad decurionatum volentes vocari poterant, l. 2. S. fin. de  
 decurion. & Senator post sexagesimum quintum annum in  
 curiam venire quidem non cogitur, sed nec veratur, teste Se-  
 neca in contr. loc. cit. uti vel Catonis exemplo constat,  
 qui quarcum annum agens & octogesimum Senatum fre-  
 quentavit, quod ipse testatur apud Cicer. de senect. 10. At-  
 que sic intelligi debet, quod sexagenarii vocarentur depon-  
 tani, quia ad suffragium per pontem in comitiis serendum  
 non adiebantur & liberi erant, si vellent: nam leges ma-  
 jorem sexaginta annis otio reddebant, auctore Plin. l. 4.  
 epist. 23. v. Lipsius Cent. 5. Miscell. epist. 28. Et pro-  
 fecto senes quam maxime Republicam consilio, auto-  
 ritate ac prudentia juvare possunt, quod Cicero pulchre  
 ostendit de Senect. cap. 6. & 11. nam feris venit usus ab an-  
 nis,

nis, unde & Plutarch. loc. supra jam laud. eam civitatem maxime salvam prædicat, ubi consilia senum obtinent; quæ etiam ratio videtur, cur decurio, qui per senectutem a numeribus decurionatus immunis est, in curiam tamen venire teneatur, quando aliquid ordinandum vel decretum facendum est, l. 41. C. de cur. quam ita aliter ac Cujacius expavit Gothofr. Tom. 4. C. Th. p. 462. Aliud tamen dicendum de senibus decrepitis, qui ad incunabula redire incipiunt, de quibus in proverbio est bis pueri senes: continet enim aliquando, ut in præcipiti avo, quando præmortuum corpus est, animus quoque langueat ac deliret. Hinc Plautus Mercat. act. 2. Scen. 2. v. 24.

*Senex cum extemplo est, jam nec sentit, nec sapit,  
Ajunt solere eum rursus repuerascere.*

Lucretius L. 3. v. 452.

*Post ubi jam validis quassatum est viribus avi  
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,  
Claudicat ingenium, delirat lingua, mensque.*

Hinc & decrepitus senex pariter ac infans (v. Cap. I. & 8.) dignoscere non posse dicitur inter bonum & malum. 2. Sam. 19. v. 35. Plura hanc in rem loca cumulavit Fabrotus exercit. 4. Arque hæc ratio dubitandi fuisse videtur in l. 3. C. qui test. fac. poss. an senex testamenti factionem haberet: nam custodite Imp. desiderant sinceritatem, seu sanitatem mentis. Eodemque sensu intelligenda est l. 16. C. de donat.

### III.

Coronidis loco videamus, quid sit habendum de eo, quod Cicero dixit: *Omnium etatum certus est terminus;* Senecturis autem nullus certus est terminus, de Senect. cap. 20. Staseas Peripateticus quidem spatium plenæ vitæ quantuor & octoginta annorum esse dixit; quem terminum si quis præterit, facere idem, quod *sædiodeçmoi* ac quadrige faci-

faciunt, cum extra finem procurrunt. Plato autem octuagimo primo vitam consummari putavit: v. Censorinus de Die Nat. cap. 14. A quo non multum recedit, quod Psaltes 90. v. 10. cecinit, dies annorum nostrorum esse annos septuaginta aut, si valentissimi simus, octuaginta. Unde & octogenarius valde senex dicitur 2. Sam. 19. v. 32. ac Tacitus Julianum Augustam, qua anno ætatis octuagimo secundo decepsit, auctore Plin. l. 14. hist. nat. 6. ætate ex irena obiisse, sit l. 5. annal. cap. 1. Varro l. 1. de re rust. in pr. Annus octogesimus, inquit, admonet me, ut sarcinas colligam, antequam proficiscar e vita. Verum hæc intelligentia sum de eo, quod ἐπὶ τῷ πλεῖστῳ accidit, & communis natura ductui consentaneum est. Sane longissimum humana vita spatiū tam angustis cancellis non includitur. Treb. Pollio in vita Claud. cap. 1. scribit, doctissimos Mathematicorum centrum & viginti annos homini ad vivendum datos judicasse; nemque Moysi, quum quereretur, quod juvenis interiret, responsum ab incerto numine fuisse, neminem plus esse viſitum: ad quem locum Calaub. videatur. Alii vero in centum duodecim, alii in centum sedecim annis vitam longissimam constituant apud Censorin. de Die Nat. cap. 17. At Jcti nostri ætatem hominis longevi seu finem vitæ longissimum centum annis definitive sunt, l. 56. de usufr. l. 8. de usu & usufr. leg. l. 76. de judic. Quos Justinianus sequitur, l. 23. C. de SS. Ecclef. & Novell. 9. Scilicet quoniam natura, spatiū humanæ vitæ longissimum quantum effet, exploratum non haberent, civiliter hoc ad centum annorum modulum determinarunt. Varro l. 5. de ling. Lat. Sæculum, inquit, spatiū annorum centum vocarunt dictum a sene quod longissimum spatiū senescendorum hominum id putarunt. Atque ut hunc numerum constituerent nonnihil caule fuisse sit Censorinus loc. laud. quod multis suorum civium ad hanc ætatem vitam producere viderent. Illud autem suave est, quod ex Varrone

&amp;

& Dioscoride addit, Alexandriæ inter eos, qui mortuos conservare (Freher. l. 2. verisim. 16. legit consecare) solent, constare, hominem plus centum annis vivere non posse, eo quod cor a die natali ad annum quinquagesimum quolibet anno duabus drachmis crescat, a quinquagimo autem anno ad centesimum eodem modo decrescat, adeo ut homo, qui ad centum annos pervenit, cum nihil amplius cordis habeat, vitam longius producere non possit. Quam Ægyptiorum opinionem etiam recenset Plin. l. ii. H. N. 37. v. Fer. Adduenlis l. 2. explicat. tom. 2. Thes. p. 563. Ceterum cum JCris facit Ecclesiasticus cap. 18. v. 8. Numerus, ait, dierum hominis, ut sint plurimi, est annorum centum. add. Jesaiæ cap. 65. v. 20. Areopagitæ quoque centum annos finem vitæ longissimum statuisse videntur, quando mulierem parricidii ream, quam aperte nec damnare nec absolvere volebant, cum accusatore post centum annos adiecerunt apud Val. Max. l. 8. c. i. v. Forn. l. 3. select. 29. Multi tamen hunc terminum longe sunt supergredi, quam in rem non adferam exempla Patriarcharum, qui per alii quot saecula vitam producerunt: id enim mature jam cessavit, nec meum est in ejus rei rationes inquirere. Illud tam monuisse sufficiat, posteriore quoque attatem multa suppeditare exempla eorum, qui ultra metas centum annorum proiecti fuerunt, quorum quam plurimos recensent Lucianus in Macrob. Plin. l. 7. hist. nat. 48 Val. Max. l. 8. c. 13. & alii. Inter alia memorabile exemplum longæva mulieris habet Valerius l. c. in Clodia Ofilii JCri conjugi, quæ quindecim filios enixa, quibus omnibus turbato ordine moralitatis superstes, quintum decimum & centesimum explevit annum. Quin imo ne in hac quidem mundi senecta similia exempla deflunt, & nuper adhuc nova diurna singularem reulerunt casum duorum nempe conjugum in Portugallia eodem die mortuorum, quorum vir centum viginti quinque, fœmina vero centum quinque annos impleverant. Cl. Gravius quoque

42 ) 97 ( 20

que ad Cicer. *de senect.* 20. scribit, superiori saeculo in Scotia quendam fuisse centesimum & quadragesimum annum egressum. Cui addi meretur mirificum exemplum Angeli cuiusdam, qui cum anno centesimo ob vim virginis illatam capitis reus fuisse, annum centesimum quinquagesimum & tertium attigit, sed a Rege Carolo propter longavitatis miraculum ruri Londinum evocatus, & ibi non frens aeris & victus rationis mutationem mox decessit, quam floriam ab ocularo teste sibi narrata refert Palmerius in exercit. ad auct. Græc. pag. 10. Ut adeo verissimum sit, quod Cicero dixit, sine futis nullum certum esse terminum.

## COROLLARIA.

### I.

*Quando Ulpianus Principem legibus civili-  
bus solutum esse dicit, neque nimium,  
neque tantum ipsi tribuit, quam vulgo  
creditur.*

### II.

*Testamenti factionem juris naturalis esse, &  
ex natura dominii oriri nego.*

### III.

*Arcadius & Honorius in l. 5. C. ad L. Jul. Ma-  
jest. injuria arguuntur iniqutatis.*

N

IV.

IV.

L. 16. §. 4. D. de Minor. *iniquitatis labo ca-  
ret.*

V.

*Pupillus, qui intelligit quod agit, etiam abs-  
que tutore ex conventione sua naturali-  
ter obligatur.*


VI.

*Querela inofficiosi non lege, aut edicto Pra-  
toris, sed moribus est introducta.*

VII.

*Mandatarius regulariter non præstat culpam  
levissimam.*

F I N I S.








Utrecht, Drss., 1732-33







1798. DISPUTATIO JVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
EO QVOD JVSTVM EST  
CIRCA  
**VARIAS HOMINVM  
ÆTATES**  
QVAM  
SVB PRAESIDIO  
JOHANNIS OOSTERDYK SCHACHT  
A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS MEDICINAE  
PROFESSORIS ORDIN.  
PRO GRADV DOCTORIS  
PUBLICO EXAMINI SVBMITTIT  
HENRICVS MOLLERVS  
HAGA-BATAVVS.  
TRAJECTI AD RHENVM D. XXIV. IVNII MDCCXXXII.  
HELMSTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACADEMIAE TYPOG.  
RECUSA 1744.